BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
41 G 10
Digitized by Google

1. 55. F 10.

P. II - 8 -
T V. 21.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAULI CORTESII
DE HOMINIBUS DOCTIS
DIALOGUS.

Digitized by Google

3

Digitized by Google

PAULI CORTESII

VIRI CLARISSIMI.

DE HOMINIBUS DOCTIS

DIALOGUS

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS

CUM ADNOTATIONIBUS.

ACCEDIT AUCTORIS VITA:

AD ILLUSTRISS. DOM. MARCHIONEM ABBATEM

GABRIELEM

RICCARDIUM

PATRICIUM FLORENTINUM.



FLORENTIÆ. MDCCXXXIV.

Apud Bernardum Paperinium, ſub Signo Palladis, & Herculis.

CUM APPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

GABRIELI RICCARDIO
PATRICIO FLORENTINO
MARCHIONI.

BERNARDUS PAPERINIUS.

HABUIT *ſuperior ætas Viros planè doctos, omnibuſque ingenuis artibus eruditos, per quos potiſſimùm renatæ lit-*

teræ,

Digitized by Google

teræ, ac reſtitutæ fuerunt. Dialogum de iis ſcripſerat Vir temporum ſuorum elegantiſſimus, idemque acerrimo judicio præditus, Paullus Corteſius, & De Viris Doctis inſcripſerat. Hunc mihi Dialogum quum typis meis imprimendum liberaliter conceſſiſſet Alexander Politus V. Cl. qui eum ſibi ex Sangeminianenſibus membranis jam dudum deſcribendum curaverat; tu mihi ſtatim occurriſti, GABRIEL RICCARDI, *Vir ampliſſime, atque ornatiſſime, cujus Nomine idem hic Dialogus inſcriberetur. Nam & doctus ipſe es, quàm qui eſt maximè, & doctos Viros amas, & de iis acerrimè judicas, & doctrinas omnes liberaliſſimè protegis, ac promoves. Quumque Tibi Deus, ac* FAMILIÆ

TUÆ

TUÆ *opes tantas, quantas alteri cuiquam vel locupletiſſimorum privatæ conditionis, ac fortunæ hominum, tribuerit; eas ſanè non, ut plerique faciunt, ad luxum, neque ad voluptates, refers; Sed, quod pauciſſimorum eſt,*

. . . . . quos æquus amavit
Juppiter, atque ardens evexit
ad æthera virtus;

maximas Tuas divitias in doctos homines ornandos, doctrinaſque ipſas amplificandas impendis. Neque in ſummâ rerum omnium affluentiâ quidquam te magis afficit, atque oblectat, quàm libri cujuſcumque generis, & doctrinæ, quos pulcherrimum eſſe ducis, atque optimum ampliſſimi patri-

mo-

Digitized by Google

monii tui ornamentum. Idque præcipuè eſt, quod, præ generis nobilitate, divitiarumque gloriâ, in Te omnes mirantur, ſtudium erga litteras, atque homines litteratos. Quare eſt omnino, GABRIEL *ampliſſime, quòd ſperem, munuſculum hoc meum Tibi eſſe perplaciturum, quod ad doctos homines pertinet. Qualecumque id eſt, lubens Tibi ac meritò offero. Favor ſi mihi Tuus præſens adſit, incumbere in eam curam alacriter pergam, ut pleraque alia doctorum Virorum monumenta ad publicam ſtudioſorum hominum utilitatem edantur. Vale.*

PAU-

PAULI CORTESII
V I T A.

PAulus e nobili Cortesiorum Familia,[1] quæ inter primarias Sancti Geminiani Etruriæ Oppidi eſt habita, antiquitus ex Ticino Inſubriæ Urbe oriunda, Romæ[2] anno humanæ reparationis MCCCCLXV. ortus eſt, patre Antonio Corteſio, qui feminam patriciam N. Aldobrandiniam Florentinam in matrimonio habuit,

1 Jo: Vinc. Coppi in Chron. Gemin. impreſſ. Flor. 1695. Paulus ipſe Municipes ſuos appellat Cherubinum Quarqualium Geminianenſem in Lib. 2. de Card. ac Antonium Lollium pag. 53. hujus Dialogi.

2 Idem Copp. l. d.

buit, quique [1] Duodecemvirûm Compendiariorum, ac [2] Scripturariæ Cenſuræ princeps fuit; Vir quidem honoris, fortunæ, & virtutis ornamentis præditus, ac [3] Libelli cujusdam Inſtitutionum Moralium Scriptor. Pauli fratres fuere [4] Alexander Latinis Muſis clarus, cujus Carmina non ſemel formis ante excuſa, noviſſime illuſtrium Poëtarum Italorum poëmatis inſerta Florentiæ prodiere; & [5] Lactantius Eques, Paraphraſeos in Cæſaris Commentaria author, ipſique Paulo ſuperſtes, qui inchoatam a fratre Operis de Cardinalatu editionem, eo vita functo, abſolvit.

Hic a teneris, ut ajunt, unguiculis optimarum artium ſtudiis addictus, acre ingenium ita excoluit adſiduis lucubrationibus, tantumque in omni genere litterarum profecit, ut non ſolum [6] Philippo Callimacho, Pom-

1 Corteſ. de Card. in proœm. Vulgo *Protoſcrinerario* juxta Copp. ſentent.

2 *Correttore delle Contraddette* idem Copp.

3 Extat in Biblioth. Lecceti, de quo Cinellius in Scriptor.

4 (Ab aliquibus *T. Alexander*) A Diplomatibus Centumvir, ideſt *Segretario Apoſtolico*, ac Libellionum Triumvir, *Segretario de' Brevi* appellatur a Coppio, qui ſubdit eum Nuncium Apoſtolicum fuiſſe, diemque ſuum an. 1494. ætatis 30. obiiſſe. Plura Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 3. & Janus Douza a Voſſ. citat. Jo: Cinell. de Scriptor. Etruſcis Alexandro, & Paulo Fratri unum idemque Opus aſcribit deceptus ab elogio Jac. Gaddii, quod ambos fratres complectitur.

5 Magdalenam Mediceam uxorem duxit. Copp. in Chron.

6 Copp. l. d.

Pomponio Læto, Angeloque Politiano clariſsimis Viris ob ſtudiorum ſimilitudinem neceſſitudine jungeretur, verum etiam cum Raphaële Volaterrano, Pico Mirandulano, Hermolao Barbaro, Marſilio Ficino, ac Bartholomæo Lampridio, qui ejus doctrina, ac judicio utebantur, familiariſſime viveret. Summam Principum gratiam, & benevolentiam virtutis, atque doctrinæ commendatione ſibi comparavit; id, quod de ſe ſignificat: [1] *Puer Romæ cum ab Alexandro fratre deducerer ad Principes, ſæpeque honoris cauſa in convictum adhiberer, &c.* Nam [2] & purpuratis Patribus, ipſiſque adeo Summis Pontificibus, præcipue vero Pio III. ac Julio II. cui Librum paullo ante memoratum de Cardinalatu dicari voluit, fuit acceptiſſimus. Quod Opus ad Viri Principis in unaquaque deinceps ætate ſtudia dirigenda a ſe primò conſcriptum, [3] Aſcanio Cardinale Sfortia hortatore, non paucis immutatis de Cardinalatu poſtea nuncupavit. Hinc eſt quod Guillelmus

1 De Cardin. lib. 3. pag. 190.
2 Ex Epiſt. Coſmæ Pactii Archiep. Flor. apud Copp.
3 Copp. in Chron. pag. 72. Vincent. Placent. in Epiſt.

Caveus duplex opus de Principe, ac de Cardinalatu Paulo adſcribit. Non me latet [1] Gabrielem Naudeum Pariſinum, librum hunc cenſura notaſſe, quum diceret, eum *ſua mole difficulter regi*, *licet Ciceronianæ dictionis adjutum præſidio*. At vero longe aliter de eo Libro doctiſſimi Viri [2] Jacobus Gaddius, [3] Vincentiuſque Mainardus ſensêre. Primus enim fatetur hoc opus *omnigenæ fere doctrinæ*, *ac eruditionis peramœna varietate contextum*; alter: *Non barbarica aſperitate vaſtum*, *aut oratione jejuna ſalebroſum*, *ſed Græca ubertate*, *& Romana gravitate magnum*. Nec minus honorificum de eo opere, ejuſque Authore teſtimonium [4] Raphaël Volaterranus dixit: *Res*, inquit, *multa cogitatione quæſitas*, *ſæpeque duras cultu orationis*, *latinitateque molliebat*; *cujus ei tanta religio fuit*, *ut ſententias*, *inventaque perire mallet*, *quam non apte*, *ornateque exire*. Stili vero elegantiam, cujus fuit admodum ſtudioſus Corteſius, a [5] Severo Placen-

1 Naudeus in Bibliographia Polit. impreſſ. Lugd. Bat. 1642. pag. 177.

2 Jac. Gadd. in Coron. Elogiaſt. ac de Scriptor. non Eccleſ. pag. 141.

3 Vinc. Mainard. Geminian. Ord. Prædic. in Epiſt. Lact. Corteſio.

4 In Epiſt. nuncupat. ad Jul. II. præfixa Operi de Cardin.

5 In Epiſt. Lactantio Cort. Lib. de Cardin. præfixa.

centino magnopere commendatam ex quadam ejus Epiſtola intelligimus: *Hic a primis adoleſcentiæ annis maximo animi ardore ad imitanda Ciceronis veſtigia, & ad priſcum illius ævi eloquium inſtaurandum ſemper aſpiravit. Qua in re quantum profecerit, facile colligi poteſt, cum ex multis ejus lucubrationibus, tum ex Epiſtola, quam ad Politianum ſcripſit cum eo de Ciceronis imitatione contendens ætate quidem adhuc juvenis, at judicio maturus, & ſenex.* Verba Epiſtolæ hæc ſunt: *Quare, ut de me loquar, nihil eſt, Politiane, quod me a Ciceronis imitatione deterreas, ſed quod potius objurges inſcitiam, quum nequeam bene illum imitari, quamquam ego malo eſſe aſſecla, & ſimia Ciceronis, quam alumnus, aut filius aliorum, &c.* Hæc exſtat inter illuſtrium Virorum Epiſtolas a Politiano partim ſcriptas, partim collectas, Lib. VIII. Ep. XVII. [1] Antonius autem Poſſevinus Paulum inter Scriptores Theologicos numerat inquiens: *Paulus Corteſius Protonotarius Apoſtolicus quatuor Libros Sententiarum expoſuit,* [a] de quibus quidem lo-

[a] Tom. 3.

[1] Idipſum teſtatus eſt Gaddius l. 4.

loquitur [1] Jodocus Badius Aſcenſius rei typographicæ locupletator maximus, ubi Opus Corteſii Theologicum nos habere monuit. Luculentius vero [2] Guillelmus Cave memoratus, qui ait: *Paulus Corteſius ſcripſit in quatuor Libros Sententiarum diſputationes ſeorſim editas Pariſiis* 1513. *fol. ac nonnullis Hieronymi Savonarolæ Opuſculis conjunctas, Baſileæ* 1540. *fol.* quibus addidit ejusdem Corteſii Opus, cui titulus: *De Sacrarum litterarum, omniumque diſciplinarum Scientia, Baſileæ impreſſum apud Henricum Petri*; de qua quidem re penes eum fidem eſſe volo. Ob hæc, [3] aliaque hujuſmodi ingenii monumenta, non minus quam ob morum candorem, atque integritatem quum vulgo eſſet etiam abſentibus notus, Romæ claruit, atque in Pontificatu Alexandri VI. & Pii III. Munus obiit Secretarii Apoſtolici; Protonotarius Apoſtolicus deinde ex numero Participantium creatus; denique [4] Epiſcopus Urbinas electus eſt, eo opina-

1 In ſchol. Epiſt. XVI. Lib. VIII. Epiſt. a Polit. collect.

2 Hic Paulum claruiſſe ſcribit an. 1500.

3 Inter ea numeratur Hiſtoria, ſeu Fabella Hyppoliti, & Dejaniræ Lat. ſermone, quæ extat MS. apud Cl. Salvinum Salvinium, ab Epiſcopo Signino laudata.

4 Copp. in Chron.

pinamur tempore, quo [1] Gabriel de Gabrielibus Urbini Antiſtes Umbriæ legatione fungebatur. Decipitur [2] Naudeus, qui Paulum in Purpuratorum cœtum adnumeratum fuiſſe ratus eſt, & merito ab [3] Hyacintho Coppio reprehenditur; ſed facile ille ampliſſimam dignitatem conſequutus eſſet, niſi [4] mors immatura anno MDX. ætatis ſuæ quadrageſimo quinto in Caſtro ſuo Corteſiano ſpem ejus rei omnem ademiſſet. In cujus obitu hæc, qualiacunque ſunt, prodiere [5] epitaphia:

Quid juvat exculto verſu decorare ſepulchrum,
Debita cum fuerint juſta ſoluta minus?
Deſinite ingenio ſic, o certare Poëtæ,
Non numeris opus eſt, crebro litate magis.

TUMULUS.

Quid quæris? Paulum. Paulum quæ tota parentem
Dicebat nuper Lingua Latina ſuum?
Perge aliò; tantum ſunt oſſa hic putrida, compos
Mens voti Elyſios viva pererrat agros.

EPI-

1 V. Ughell. Ital. Sac. T. 2.
2 In Bibl. præd. pag. 177.
3 In Ep. Chron. inſerta Jo: Vinc. filii.
4 Copp. in Chron.
5 Extant apud Copp.

EPITAPHIUM.

An Patriam, Gentem, Nomen vis? Geminianum,
Corteſiam, Paulum, noſti? ea crede, ſat eſt.

Ita Michaël Margatti; at [1] Severus Placentinus:

Eloquii gravitas, & ſacri jura Senatus,
Corteſi, ſita ſunt hìc, ubi, Paule, jaces.

Jacobi denique Gaddii Elogium Oratorium obvium eſt in Coronide Elogiaſtica ejusdem, ac ubi agit [2] de Scriptoribus non Eccleſiaſticis Græcis, Latinis, ac Italicis. Pauli interitu ingentem fuiſſe calamitatem litteris importatam Litterati homines conqueſti ſunt. Is enim Hiſtoriæ, Philoſophiæ, ac Theologiæ, quas facultates apprime callebat, lucem, ac dignitatem ingenio, atque eloquentia, ſi diutius vixiſſet, & extremam, quod ajunt, operibus manum admoviſſet, fuerat allaturus. Vir animo ab omni dolo penitus alieno, ætatem non deſidia, aut voluptate, neque vero in augendis fortunis, ſed in litteris colendis ſtudiiſque traduxit. Hujus rei præ ceteris argu-

men-

1 Apud Copp. & Placent. in Epiſt. | 2 T. I. pag. 141.

mento ſit Montana Villa, Corteſianum oppidum appellata a S. Geminiani duobus paſſuum millibus diſtans, in quam ipſe res urbanas aulicaſque pertæſus ſub exitum vitæ ſeceſſerat, quam in arcis modum redactam amœniſſimam fecerat, ubi dulce Muſarum diverſorium inſtituit, quo [1] principes Viri quamplurimi ſe conferre conſueverant; inter quos ſpectatiſſimæ prudentiæ ſenex ille Hercules II. Ferrariæ Dux, Guidus Ubaldus Dux Urbinas, Alexander Farneſius (poſtea Paullus III. P. M.) & Franciſcus Soderinius Cardinales ſtudio viſendi hominis, qui negociorum peritia, rerum aulicarum, politiæque uſu, necnon judicii maturitate oraculum haberetur. [2] Verba hic referre liceat, quæ ipſe in Corteſiano Caſtro ultimis vitæ menſibus ſcripſit, dum opus ſæpe memoratum abſolvere feſtinabat, mercede illuc conducto Simeone Nicolai Nardi Senenſi Typographo, ut is ibidem illud prelo ſubjiceret, a quo deinde [3] publici juris factum eſt xv. Novembris ejusdem anni MDX. *Quod quidem cum multis in locis, tum maximè his proximis tribus annis in Corteſiano*

✠ † *no-*

1 Copp. l. d.
2 Lib. 3. de Cardin. pag. 229.
3 Editio hæc in Caſtro Corteſiano facta, rara eſt.

novi; quo cum incredibilis litteratorum multitudo viſendi mei cauſa ex Italia cuncta veniſſet, ac ſemper fere inter nos de rerum maximarum ſtudiis legitimus inſtitueretur ſermo, ſæpe inter loquendum, & diſputandum ſenſi multos ob id huic opinationi aſſentiri velle, &c. Dialogum, quem nunc in publicam lucem emittimus, primo ætatis ſuæ flore elucubravit, circa annum ſcilicet MCCCCXC. quod ſane colligitur ex iis, quæ leviter attingemus. Mentio habetur inibi Antonii Geraldini Amerini, veluti vita functi, his verbis: *facile homo litteris inſtructus, ſi longior ei vita contigiſſet, a Rege generoſo, ac potente, & opibus, & honoribus ſublevaretur*. Conſtat vero ex Itinerario Alexandri Geraldini fratris, atque ex Jacobilli [1] Bibliotheca, Antonium diem ſuum obiiſſe anno MCCCCLXXXVIII. Scribitur autem Dialogus a Paulo adhuc adoleſcente, de quo dici poſſit [2] *ineſſe Operi quandam ſuper iſtius ætatis captum quaſi maturitatem*, ut ait Politianus; eo vero tempore annum agebat noſter vigeſimum quintum. Dicatur denique Dialogus Laurentio Mediceo, qui fato ceſſit ineunte an-

no

1 Bibl. Umbr.
2 In Epiſt. quadam a Polit. ſcripta, quam in calce referemus.

no MCCCCXCII. Ceterum cenſura inſtituitur plurimorum Scriptorum a reſtitutione litterarum Latinarum ad ea uſque tempora fere omnium vita functorum, ut patet ex verbis ipſis Dialogi pag. 55. *Præclare intelligo, cur neminem ex his, qui hodie ſunt, velis ipſe nominare.* Quare nil mirum ſit, inibi de Marſilio Ficino, Angeloque Politiano, quem pag. 48. Dialogi amicum vocat, patriæ noſtræ luminibus, ne verbum quidem legi. In [1] Epiſtola Corteſii nuncupatoria ad Laurentium Virum magnanimum hæc habentur: *Quum ſæpe in mentionem incidiſſem eorum hominum, qui nobis ſtudia doctrinæ ab interitu vindicarunt, dolebam equidem quum a nobis multum ſummis ingeniis deberetur, nos eſſe ad remunerandum tardiores. Itaque cum multis ſæpe in locis, tum maxime nuper in Inſula, quæ eſt in lacu Volſinienſi* (Farneſiæ Domus fundo, de quo vide ejusdem Dialogi pag. 2.) *eorum eſt habita mentio. Nam quum ex Urbe aliquot adoleſcentes in Inſulam veniſſemus, eſſetque nobiſcum Alexander Farneſius, adoleſcens cum ingenuis artibus inſtructus, tum ſumma mecum benevolentia conjunctus, cepimus ibi ſedentes inter nos colloqui multis variiſque*

 de

[1] Quæ Dialogo præfigitur.

de rebus propter loci amœnitatem. Quumque quæreretur quinam eſſent hi, quorum ingeniis ſunt ſopita ſtudia excitata, rogavimus omnes Antonium quendam majorem natu, doctiſſimum quidem illum hominem, & ingenii acerrimi, ut ſi ei placeret, quid de his viris ſentiret, explicaret; quod quum ipſe multa de unoquoque proprie graviſſimeque diſſeruiſſet, collegiſſetque eos homines uno ſermone uſque ad hanc ætatem, tantum me illa vel copia, vel illo orationis curſu delectavit, ut decreverim eum ipſum ſermonem mandare litteris. Hinc deſumuntur Authoris de hoc Dialogo edendo conſilium, occaſio, locus, tempus, perſonæ denique, nempe Paulus Corteſius, & Alexander Farneſius adoleſcentes, atque Antonius quidam Vir grandævus, & doctus, de quo nihil mihi eſt adhuc exploratum. Perraro citatur hic Dialogus, a [1] Gaddio aliiſque omiſſus: nec mirum; ad hæc enim ferme tempora latuit. Laudatur tamen inter recentiores ab eruditiſſimo Johanne Vincentio Coppi (penes quem autographum extitit) in Chronicis Geminianenſibus; atque a Cl. Viro nominiſque fama celeberrimo Apoſtolo Zeno in ſuis Additionibus ad

1 Ubi de Corteſ. loquitur.

ad Voſſium editis inter Ephemerides Litteratorum Italiæ. At vero multo ante meminerat Lucius Fazinius Maphæjus Epiſcopus Signinus, Vir,[1] Ughellio teſte, doctrina clarus, peritiaque tum Græcæ, tum Latinæ Linguæ percelebris, qui de eo ita ad Corteſium ſcripſit:

L. M. PHOSPHORUS PONTIFEX SIGNINUS
PAULO CORTESIO S.

Dii, Deæque, quid ego video? Quotus enim quiſque eſt, qui alterum tantum exhibeat, aut præſtet? Legi igitur tuum Dialogum elegantiſſimum, ac planè Latinum. Apparet te in legendo Cicerone operam non amiſiſſe, ita eum effinxiſti. ipſum certè audire videor. Sed iſto in libro id præcipuè ſum admiratus, quòd in judicandis noſtrorum hominum ingeniis tam æquus fuiſti. Nullis nec odiis, nec amicitiis motus, omnes vel laudas, vel taxas; aliquos ita certis, & veris exceptionibus deſcribens, ut ne ipſi quidem negaturi ſint, ſi reviviſcerent. Quare, mi ſuaviſſime Paule, perge, & ede Opus: nihil eſt, quod vereare. Auſim affirmare, ſi quid ego ſum, omnes iſtos, quos commemoraſti, facilè a te uno in dicendo ſuperatos.

Præ-

1 Ital. Sac. Tom. I.

Præclarum etiam extat de eodem Dialogo Angeli Politiani judicium, quod privatis litteris ad Corteſium datis conſignavit; quas, quod nemo ad hanc diem, ut item ſuperiores Fazinii, ediderit, libuit extremo hoc loco attexere, eo quia hujus Dialogi apographo præfixas invenimus.

ANGELUS POLITIANUS
PAULO CORTESIO SALUTEM.

QUid de tuo ſentiam Dialogo, vix audeo quidem ſine cunctatione proferre. Nam nec invidiæ objicere Amicum, nec diſſimulare tamen judicium volo. Sed tamen aut amore labor, aut libello tuo nobilior eſt indoles, quàm quæ videri continuo temporum poſſit. Cenſuram ſic agis Litteratorum, ut, quod eſt arduum, candorem pariter tuum probes, & libertatem. Certè ineſt Operi quædam ſuper iſtius ætatis captum quaſi maturitas: illa verò tempeſtiva, non præcox. Stili quoque voluntas apparet optima, &, ut auguror, a ſummo non diutiùs abſutura. Poſtremò, ut ſemel dicam, Phoſphori ſententiæ non accedo ſolum, ſed & faveo. Tuæ deinceps erunt partes, ut quàm modeſtè gloriam, tam fortiter invidiam feras. Vale.

IN-

INDEX DOCTORUM VIRORUM,

QUORUM MENTIO IN OPERE HABETUR.

Alexander Corteſius. *Pagina* 44.
Ambroſius Camaldulenſis 17.
Andreas Brentius 50.
Andreas Contrarius 48.
Angelus Politianus 48.
Angelus Sabinus 48.
Antonius Campanus 37.
Antonius Corteſius 47.
Antonius Girardinus 51.
Antonius Lollius 53.
Antonius Luſcus 26.
Antonius Panormita 28.
Antonius Tudertinus 31.

Bartholomæus Faccius 30.
Bartholomæus Lampridius 52.
Bartholomæus Platina 44.
Benedictus Accolti 22.
Bernardus Juſtinianus 54.
Beſſarion Trapezuntius 42.
Boninus Mombricius 49.

Campaninus Septimulejus 46.
Carolus Arretinus 19.
Cherubinus Quarqualius 53.
Chriſtophorus Perſona 29.
Cola Montanus 50.
Coluccius Salutatus 9.

Daniel Francinus 52.
Dantes Aligherius 6.
Dominicus de Dominicis 36.
Domitius Calderinus 40.
Donatus Acciajolus 43.

Emmanuel Chryſoloras 5.

Flavius Blondus 31.
Flavius Pantagathus 51.
Franciſcus Accolti 53.
Franciſcus Barbarus 20.
Franciſcus Lippus 48.

Gaſpa-

Gaſparinus Veronenſis, vel Pergamenſis 26.
Georgius Merula 30.
Georgius Trapezuntius 25.
Gregorius Tiphernas 30.
Guarinus Veronenſis 13.

Hermolaus Barbarus 20.

Jacobus Ammannatus 45.
Jannoſtius Manettus 21.
Janus Pannonius. v. Johannes Pannonius.
Johannes Andreas Alerienſis 36.
Johannes Argyropylus 42.
Johannes Auriſpa 15.
Johannes Baſinius 36.
Johannes Boccaccius 8.
Johannes Jovianus Pontanus 34.
Johannes Pannonius 47.
Johannes Ravennas 9.
Johannes Tortelius 19.
Julius Pomponius Lætus 26.

Lapus a Caſtilionchio 30.
Laurentius Bonincontrius 54.
Laurentius Valla 27.
L. Carbo 54.
Leo Baptiſta Albertus 21.
Leonardus Arretinus 9. 55.
Leonardus Datus 30.
Leonardus Juſtinianus 18.
Lucius Fazinius Maphæjus 44.

Mambrinus Roſeus 49.
Mapheus Vegius 16.
Marius Philelphus 33.
Martinus Phileticus 52.
Matthæus Palmerius 43.

Nicolaus Niccolus 14.
Nicolaus Perottus 39.
Nicolaus Quintus Summus Pontifex 19.
Nicolaus Saguntinus 15.
Nicolaus Valla 46.

Omnibonus Leonicenus 27.

Pætonus 54.
Pallas Stroza 21.
Paulus Marſus 50.
Petrus Candidus 15.
Petrus Montopolita 30.
Petrus Nucetus 29.
Petrus Paulus Vergerius 15.
Pius Secundus Pontifex Maximus 35.
Poggius Bracciolinus 22. 55.
Porcellus Neapolitanus 33.

Rinuccius Theſſalus 29.
Robertus Vulturius 36.

Sigiſmundus Malateſta 34.

Theodorus Gaza 40. 55.

Victorinus Feltrenſis 26.

Xenophon Philelphus 33.
Xicco Polentonus 16.

PAU-

PAULUS CORTESIUS
LAURENTIO MEDICI
S. P. D.

CUm maximis in rebus, Magne Laurenti, noſtrorum hominum præclara ingenia ſoleo laudare; tum præſertim in his ſtudiis, quæ ex tenebris tanquam ad intuendam lucem revocarunt. Nam quum eſſet aliquando ex diuturna barbarorum vexatione Italia liberata; tum incredibilis multitudo ſe contulit ad omnium magnarum artium diſciplinas celebrandas. Quorum ſtudiis Principes illius ætatis tantùm ad facultatem perquirendæ doctrinæ profuerunt, ut pariter deſertarum diſciplinarum patrocinium ſuſcepiſſe viderentur.. Quo in genere

 Avus,

Digitized by Google

Avus, & Pater tuus, ſapientiſſimi homines, extiterunt, qui quum florerent omnibus virtutibus, hac in laude ingeniorum excitandorum longè ceteris præſtiterunt. Tu vero hujus gloriæ præclarus amplificator, non modò extollis ingenioſorum hominum ſtudia, ſed etiam in maximis occupationibus omne domeſticum tempus ad artes elegantes, atque ingenuas confers. Et quum ad naturam eximiam graviſſimarum diſciplinarum inſtrumenta adhibueris, conjunxeriſque difficillimam ſocietatem poteſtatis, & ſapientiæ; mirabile ſit dictu, quantùm inter clariſſimos homines unus excellas. Nam, quum primâ ætate Reſpublica ſe tibi commiſiſſet, tuque eam ſic conſtituiſſes, ut & omnium ſaluti conſuleres, & eam ex flammâ civilis belli, atque ex acerbiſſimâ calamitate eriperes: quumque ille caſus ſatis locuples fuiſſet, vel ſponſor rectæ voluntatis, vel teſtis clementiæ tuæ; haud tamen erat ſatis cognitum, pluſne tibi ad ſalutem virtus, an fortuna contuliſſet. Nunc verò quum tot jam annos, & his temporum aſperitatibus non modò Rempublicam conſervaveris, ſed etiam ejus imperii fines dilataveris; nemini dubium eſt, te ad

hæc

hæc adminiſtranda plus a virtute, quàm a fortunâ, quæſiiſſe præſidii. Jam vero quo unquam in homine tam diverſæ inter ſe fuerunt partes virtutum maximarum? Quid enim longius abeſt, quàm a gravitate facilitas? Quis tamen te conſtantior? contra verò quis clementior, aut lenior? Quid tam mirabile, quàm magnitudinem iſtam animi humanitatis condimentis temperari? Quid eſt difficilius, quàm in tantâ nominis celebritate, & gloriæ ita modeſte, ac temperate vivere? Æquum eſt, ut quum ſecundis prudenter modereris, & fortiſſimè tuleris adverſas, omnem ſuperes conſilio fortunam. In quo par laus eſt, illius a te victæ, tua receptæ. Magna hæc quidem: ſed tamen ſunt & alia his fortaſſe non minora. Nam cum hæc bene vivendi ratio diſciplinarum adjumentis confirmatur; tum neſcio quid excellens, ac perfectum fieri videmus. Habes enim plurimas artes harum virtutum comites, ac miniſtras; quæ quum ſint ſpecie diſſimiles, prudentiâ tamen eas ad omnem uſum, & ad vitæ jucunditatem conjunxiſti. Quis unquam te in dicendo gravior habitus eſt, aut in omni ſermone ſapientior? Jam

Digitized by Google

Poëmata tua, quod lumen ingenii, quæ ornamenta non habent? Quid dicam, quantùm in Muſicis, quantùm in Mathematicis, quantùm in Philoſophiâ profeceris? Itaque ſolus his virtutum præſidiis, & iſto tuo mirifico ſapientiæ bono, veræ gloriæ guſtum ſentis. Ergo ex omni Italia te unum homines intuentur; te ita veriſſimis laudibus ad omnem memoriam commendant, ut nulla unquam ſit tuum nomen obſcuratura ætas. Et præclarè cum illis actum, qui te commendando in ſocietatem gloriæ venire coguntur. Ego verò quum ab ineunte ætate unâ omnium voce laudes viderem celebrari tuas: jamque adoleſcens admirabili famâ compulſus, vehementer flagrarem, ſignum aliquod meæ erga te voluntatis oſtendere; id primum conari volui, cujus maximè ſtudiis deditum te eſſe ſentirem. Sed ut revertar ad ea, quæ cœperam; quum ſæpe in mentionem incidiſſem eorum hominum, qui nobis ſtudia doctrinæ ab interitu vindicarunt, dolebam equidem, quum a nobis multum ſummis ingeniis deberetur, nos eſſe ad remunerandum tardiores. Itaque cum multis ſæpe in locis, tum maxime nuper in inſula, quæ eſt in lacu Volſinienſi,

eorum

eorum eſt habita mentio. Nam quum ex Urbe aliquot adoleſcentes in inſulam veniſſent, eſſetque nobiſcum Alexander Farneſius, adoleſcens cum ingenuis artibus inſtructus, tum ſumma mecum benevolentia conjunctus, cœpimus ibi ſedentes inter nos colloqui multis variisque de rebus, propter loci amœnitatem; quumque quæreretur, quinam eſsent hi, quorum ingeniis ſunt ſopita ſtudia excitata: rogavimus omnes Antonium quendam majorem natu, doctiſſimum illum quidem hominem, & ingenii acerrimi, ut, ſi ei placeret, quid de his viris ſentiret, explicaret. Quod quum ipſe multa de unoquoque propriè, graviſſimèque diſſeruiſſet, collegiſſetque eos homines uno ſermone, uſque ad hanc ætatem; tantum me illâ vel copiâ, vel illo orationis curſu delectavit, ut decreverim eum ipſum ſermonem mandare litteris. Quamquam non ignoro, quàm minus verecundè faciam, quòd primum tantam rem ſuſceperim, quòdque mea ſcripta auctoritate tui potiſſimùm nominis celebrari velim, quorum alterum eſſe poteſt hominis fortaſſe ingenioſi, & ſtudio litterarum flagrantis; alterum verò nonniſi parum verecundi. Nam quicquid litteris man-

datur

Digitized by Google

datur, qualecumque ſit, per ſe laudabile eſt; at homo adoleſcens non ſatis inſtructus artibus, ac doctrinis, quum palam ſua ſcripta protulerit, omnino avidior, quàm par eſt, gloriæ, videri poteſt. Tu tamen, Magne Laurenti, non tam meam hanc licentiam, quàm voluntatem metiare, ut ſi ſemel extra ripas verecundiæ defluxerim, exiſtimes, me id licentiùs feciſſe ſpe patefaciendi mihi aditum ad amorem tuum. Neque enim fas eſſe puto, quemquam inire tuam gratiam, niſi per virtutem. Quod mihi erit jucundius, ſi meam hanc voluntatem probaveris, ut aliquando approbatione divini ingenii tui, ad majorem laudem videar excitari. Vale.

Digitized by Google

Ego tanquam Criticus antiquus judicaturus ſum.

Cic. ad Dolabell.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAULI CORTESII
DE
HOMINIBUS DOCTIS
DIALOGUS.

PAULUS.

INſula quidem hæc ex omni aſpectu eximiam habet ſpeciem pulchritudinis. Nam cum lacus ipſe perlucidus, & frugiferis undique collibus cinctus vehementer delectet; tum hæc umbroſa ſaxorum altitudo, & hi veſtitus riparum tantum voluptatis afferunt, ut cum me a frequentia hominum ad ocium conferre ſtatuerim, nuſquam potius ſim. Quanquam tu quidem, Alexander, qui eundem guſtum habes, quantum intelligere poſſum, hujus loci opportunitate libentiſſime uti ſoles. *ALEXANDER*. Ego vero cum ocioſus

Digitized by Google

ſum, ſive quid volo ſine interpellatoribus legere, ſive aliquid mecum ipſe cogitare, hanc potiſſimum amœnitatem ſequor. Sed eſt alia quoque cauſa, quæ me ſæpius huc venire invitet, atque allectet. *Paulus*. Quænam eſt igitur iſta cauſa? *Alexander*. Quia hîc multa ſunt monumenta majorum meorum. Nam Rhamnuſius Avus meus hujus ſacrarii fundamenta jecit; quod poſtea Patris, & Patrui mei ſtudio auctum eſt, ut vides, lautius, ac magnificentius. *Paulus*. Jure igitur a te diligitur hic locus. Et ego jam, non tam ejus amœnitate delector, quam recordatione Rhamnuſii magni mehercule Viri, vel potius ſummi Imperatoris. Fuit enim is unus ex illo cœtu, & robore optimorum hominum. *Alexander*. Gaudeo me tibi oſtendiſſe hæc monumenta laudum domeſticarum. *ANTONIUS*. Recte tu quidem facis, Paule, quod tantopere Rhamnuſium laudas; videris enim mihi cum laudando felicitatem illorum temporum ſignificare; & fuerunt omnino memoria Patrum, cum plerique bellicis rebus præclari viri, tum multi omni genere doctrinæ floruerunt. *Paulus*. Ego vero cum utrumque id genus hominum admirer, hos etiam amo, quorum induſtria ſunt nobis aditus ad eloquentiam patefacti. Sed quoniam, Antoni, in hanc mentionem incidiſti, erit nobis pergratum, ſi de his doctis Hominibus quid ſentias explicabis. *Antonius*. Quid dicit Alexander? *Alexander*. Mihi quidem erunt iſta gratiſſima; & ſane locus ipſe adhortari videtur, ut aliquid hîc inter nos in umbra col-

colloquamur, & ſumus ocioſi. *Paulus*. Recte tu quidem, Alexander; ſcitum eſt enim illud, opus ocii extare oportere. Ordire igitur, Antoni, id, quod ex te requirimus. *Antonius*. Ego, etſi libenter hoc muneris, quod mihi imponitis, refugerem, tamen quoniam ita avide rogatis, ut durum admodum ſit huic veſtræ non obſequi cupiditati; exponam omne meum vobis de Hominibus doctis judicium, non tam oſtentandi ingenii ſpe, quam negandi verecundia. Quæritis igitur quanti, & quales in diſertorum numero habiti ſint, & qui mihi ad aliquam eloquentiæ laudem maxime acceſſiſſe videantur. Ego vero ſi Avorum memoriam repetere voluero, ita reperiam eloquentiam obmutuiſſe, ut non tam calamitatem temporum deplorandam putem, quam gratulandum noſtris hominibus, qui hæc ipſa ſtudia nobis revocarunt. *Alexander*. Sane quidem, & ego quoque his ipſis hominibus plurimum me debere cogor confiteri; ſed tamen non video unde tanta varietas ſæculorum, tot cœli mutationes innaſcantur, ut quarumdam ætatum procurationem Dii immortales habuiſſe, quaſdam omnino contempſiſſe videantur. Nam quot Oratores uno tempore Athenæ tulerunt? Quanta dicendi vis? Quæ diſciplinæ? Quæ ingenia ex uberrimis illius ætatis fontibus defluxerunt? Quot una ætate Romæ Oratores floruere? Quot valuere dicendo? Mitto diſciplinam rerum bellicarum: mitto præclara ſtudia ceterarum artium. Contra vero quid avorum memoria bonarum artium egentius? Quando

unquam litteræ diutius conticuerunt? Quando tantum obſolevere ingenia, ut plane omnia uni ætati Deorum munere conceſſa, alteri omnia fatali quodam malo erepta eſſe videantur? *Antonius*. Aſſentior in hoc tibi, Alexander, quod temporum varietates Deorum nutu fieri cenſeas. Quis enim dubitet cuncta a ſupremo illo Opifice præclaro quodam judicio adminiſtrari? Sed omittamus iſtam doctorum hominum in cœleſtium rerum inveſtigatione ſcientiam. Explicandæ nobis potius erunt hæ cauſæ, quæ eloquentiæ ſtudia funditus ex Italia ſuſtulerunt. Ac primum mihi quidem videtur translatio illa domicilii Imperii Romani ex Italia in Thraciam, non minimam attuliſſe eloquentiæ jacturam; qua profecto emigratione, & aditus Italiæ patuerunt barbaricæ crudelitati, & Romanorum opes corruerunt. Nam barbaræ nationes odio diuturnæ ſervitutis, ac delendi nominis Romani cupiditate, in Italiam tanquam ad certam prædam confluxerunt; ex quo tantæ calamitates conſequutæ ſunt, ut cives ſuis ſedibus pellerentur, immanes gentes in noſtrum genus infunderentur, & civitates everterentur, & fortunatiſſima quondam Reſpublica dilaberetur. Nec vero ſolum hæ nationes una tantum præda contentæ fuerunt; ſed etiam mille prope annorum ſpatio Italiæ poſſeſſionem acerbiſſima vexatione tenuerunt. Hinc colligatio affinitatis cum barbaris; hinc multis involucris inquinata latine loquendi conſuetudo; hinc direpta, atque exuſta infinita librorum copia. Quibus rebus factum eſt, ut na-

naſcentia ingenia omni ope deſtituta, & penitus in barbariem immerſa languerint. *Paulus*. Quamquam omittamus iſta, Antoni, quæ ſine dolore audire non poſſumus: refricantur enim moleſtiæ commemoratione acceptarum calamitatum. Sed pergamus potius ad ea, quæ cœpimus de Hominibus doctis, Oratoribus enim non auſim dicere. *Alexander*. Mihi vero, Antoni, probantur ſatis ea, quæ modo ſint a te dicta; ſed tamen nemo negarit has clades, hæc incendia, varietateſque & temporum, & maximarum rerum fato quodam fieri, aut caſu, aut cœli converſionibus. *Paulus*. Quorſum iſta, Alexander? Noli quæſo in hanc diſputationem Antonium revocare. Sunt enim iſta jamdiu a doctiſſimis illis Viris diſputata, quæ & commodius tempus, & longiorem ſermonem poſtulant. *Alexander*. Nihil ſane impedio. *Antonius*. Quoniam igitur difficile admodum eſſet ſingulos nominare, qui aliquam eloquentiæ laudem attigerunt; de his tantummodo hoc loco dicendum erit, quorum ſcripta in manibus hominum verſantur; & hi etiam nimirum, quos a majoribus, aut laudatos accepimus, aut, qui poëtica aliqua gloria præſtiterunt, in hunc ſermonem referendi videntur. Nam poſteaquam maximarum artium ſtudia tamdiu in ſordibus ægra, deſertaque jacuerunt, ſatis conſtat [1] Chryso-

[1] Emmanuel Chrysoloras primus Græcas litteras variis barbarorum irruptionibus expulſas, poſt ſeptingentos annos in Italiam reportavit. Is enim anno 1398. *Byzantio emiſſus a Johanne Imperatore, ut totius Europæ Reges adeundo pereunti Græciæ maturam opem imploraret, officium laorioſa peregrinatione implevit, ac Venetiis primum, mox Florentiæ, Romaque, ac demum Ticini, evocante ingentibus præmiis Johanne Galeatio Principe, Græcarum Litterarum ſtudium excitavit. Conſtantiæ interiit* anno 1415. Fuſius Jov. in Elog.

SOLORAM BYZANTINUM tranſmarinam illam diſciplinam [1] in Italiam advexiſſe; quo doctore adhibito primum noſtri homines totius exercitationis, atque artis ignari, cognitis Græcis litteris, vehementer ſe ſe ad eloquentiæ ſtudia excitaverunt. Et quoniam ſublato uſu forenſi, illa dicendi laude carebamus, incredibile eorum ſtudium fuit in ſcribendis, vertendiſque ex Græcis in Latinum ſermonem hiſtoriis. Sed cum hiſtoria munus ſit unum, vel maximum oratorium, attingenda ea erunt, quæ in unoquoque potiſſimum laudanda judicabimus. *Alexander*. Video cur a Chryſolora exorſus ſis, ut Dantem ſcilicet, & Franciſcum Petrarcham interponeres, qui ante Chryſoloram aliquot annis floruerunt. *Antonius*. Non equidem, Alexander, a Chryſolora exordium cœpi, ut iſtos interponerem, ſed quoniam illis temporibus erexiſſe ſe admodum eloquentia videri ſolet, decreveram ſingulos nominare, qui ex præclara illa Chryſoloræ officina defluxerunt. *Alexander*. Cupio ſane audire de his duobus quid ſentias. *Antonius*. Ego vero negare non auſim flagrantiſſimum in Dante, & in Petrarcha ſtudium fuiſſe priſcarum rerum; ſed in [2] DANTE, tanquam in veteri pictura, detractis coloribus, nonniſi delineamenta delectant. At jure eum honoravit fama. Præclarum ejus [3] Poëma plane indi-

1 Coſmi Medic. ope Athenæ Florentiam commigrarunt. Aver. Op. T. 3. Or. 12.

2 De operibus Latinis dictum puta; ceterum Etruſca laudatoribus non egent.

3 Jovius in El. *Primus Italorum Dantes Aldigerius non inſtituto vetuſtatis ordine tantum, ſed præcellenti gravis ingenii fecunditate primum locum inter imagines meritus, optimo jure conſpicitur.* Nemo hactenus extitit, Leonardo Salviato teſte, qui Dantem divinæ Comœdiæ ſcribendi genere potuerit vincere; uſque adeo vocabulis, & elocutionibus ſuis proprius eſt, quamvis inſolens, quod ſibi delegerat argumentum, eum ſæpe coëgerit voces, atque phraſes ſatis ſingulares uſurpare. Claruit an. 1300.

dicat incredibilem ingenii magnitudinem. Mirabile illud certe fuit, quod res tam difficiles, tam abſtruſas vulgari ſermone auderet explicare. Eſt enim in ſententiis ſubtilis, & argutus, acerbus in reprehendendo, in probando nervoſus; ſed interdum etiam rebus non ſatis apertis [1] obſcurus. In permovendo autem, & incitando, non eſt credibile quantum ſit concitatus, & vehemens. Utinam tam bene cogitationes ſuas latinis litteris mandare potuiſſet, quam bene patrium ſermonem illuſtravit! Sed ad Petrarcham veniamus; cujus de ingenio, induſtriaque ex tam multis ejus libris exiſtimari poteſt. Homo enim interpellantium multitudinem fugiens [2] multa ſcripſit in ocio. Hujus ſermo, nec eſt latinus, & aliquanto horridior; ſententiæ autem multæ ſunt, ſed conciſæ; verba abjecta, res compoſitæ diligentius, quam elegantius. Fuit in illo ingenii, atque memoriæ tanta magnitudo, ut [3] primus auſus ſit eloquentiæ ſtudia in lucem revocare; nam hujus ingenii affluentia pri-

mum

1 *Altiſſimo ingenio, atque incredibili præditus fuit Poëta Dantes, qui res obſcuras, & difficiles perſcrutatus eſt*. Bocch. in Elog. Videndus Vincent. Gravina Rag. Poët. l. 2. edit. Neapol. an. 1716. pag. 177.

2 *Circa annum* 1340. ſcribit Voſſius de Poët. Latin. c. 7. *Petrarcha longe lateque diffundere cœpit ingenii divini, doctrinæque mirandæ varia monumenta*.

3 Paulus Vergerius in ejus Vita: *Unicus fuit* (Franciſcus) *qui per tot ſæcula exulantem, & jam pene incognitam dicendi facultatem in noſtra tempora revocaret*. Eraſmus in Ciceroniano: *Refloreſcentis eloquentiæ princeps apud Italos videtur fuiſſe Franciſcus Petrarcha ſua ætate celebris, & magnus, &c.* ſubdens in eo fuiſſe *ingenium ardens, magna rerum cognitio, nec mediocris eloquendi vis. Atqui eſt ubi deſideres in eo Linguæ Latinæ peritiam, nam tota dictio reſipit ſæculi prioris horrorem. Sed debeamus plurimum* (Jovius in Elog.) *ingenuo ſudore ſemper æſtuanti, dum litteras a multo ævo miſere ſepultas e Gothicis ſepulchris excitaret*. Vide quæ doctiſſimus Benedictus Averanius de Petrarcha Litterarum Latinarum vindice diſſerit Oper. T. 2. Diſſ. 50. in Ciceronem, ac ea quæ Cl. Vir Apoſtolus Zenus Venetus in Ephemer. Literat. Ital. T. IX. ubi verba refert Leonardi Aretini fatentis, Petrarcham primum fuiſſe, qui ſtudia eloquentiæ in vita revocarit.

Digitized by Google

mum Italia exhilarata, & tanquam ad ſtudia impulſa, atque incenſa eſt. Declarant ejus Rhythmi, qui in vulgus feruntur, quantum ille vir conſequi potuiſſet ingenio, ſi latini ſermonis lumen, & ſplendor affuiſſet; ſed homini in fæce omnium ſæculorum nato illa ſcribendi ornamenta defuerunt. Sed ut ſaluberrimæ potiones, non ſuavitatis, ſed ſanitatis cauſa dantur: ſic ab eo non eſt delectatio petenda, ſed transferenda utilitas; quamquam omnia ejus, neſcio quo pacto, ſic inornata delectant. Huic ob multarum rerum doctrinam, & ingenii famam honores ampliſſimi habiti ſunt. Et iisdem temporibus fuit JOHANNES BOCCACCIUS, ſed decennio fere minor, quam Petrarcha. Hujus etiam præclariſſimi ingenii curſum [1] fatale illud malum oppreſſit; excurrit enim licenter multis cum ſalebris, ac ſine circumſcriptione ulla verborum. Totum [2] genus inconditum eſt, & claudicans, & je-

1 *Fatale illud malum oppreſſit* (ſcil. barbaries latini ſermonis.) Fuere & alii, qui Boccaccium Italicæ Linguæ potius, quam Latinæ facundia multo peritiſſimum appellarunt, ſicuti Flavius Blondus; ſed id tantum ſæculi vitio adſcripſere. Audi Lilium Gyraldum in Epiſt. *Non tamen equidem inficias ierim, Johannem Boccaccium hominem fuiſſe ſtudioſiſſimum, & elegantis ingenii, ut ea ferebant tempora; ingenioſum etiam, & eruditum, ſed non in Latinis, & eo minus in Græcis is fuit, qui in proprio idiomate, hoc eſt in Etruſcis, patrio ſcilicet, & vernaculo ſermone, omnes qui ante, & poſt eum ſcripſerunt, magno poſt ſe intervallo reliquit.* Subdens alibi: *Franciſcus Petrarcha, & Johannes Boccatius præter ea, quæ multa ſoluta oratione uterque compoſuit, nonnulla quoque carmine Latino ſcripſere, in quibus non multo præſtat alter alteri. In his, licet quod temporum tamen vitio adſcribendum putarim, multum tamen Poëtici ſpiritus habere videntur.* Hinc eſt quod Jo: Matthæus Toſcani de Petrarcha ait: *Latinam idem Poëſim jam ſepultam, ea felicitate excitavit ab inferis, ut ejus ergo primus a Chriſto mortuo Romæ laurea donatus ſit.* Pepl. Ital. Lib. 1.

2 De Genealogia Deorum dictum intelligo. *Theogoniæ non admodum accuratum, ac Mythologiæ non ſatis idoneum enarratorem* judicavit Boccaccium Balthaſar Bonif. lud. Hiſt. lib. 15. c. 3. Sed ſat illi eſt ob alia immortale nomen adeptum. Trithemius *Poëtam, Philoſophum, & Aſtronomum celeberrimum* nominavit. Paulus Jovius ita de eo: *Obſoleſcunt, & ægre quidem vitæ ſpiritum retinent Libri de Genealogia Deorum, &c. & de*

jejunum; Multa tamen videtur conari, multa velle. Ex quo intelligi poteſt, naturale ejus quoddam bonum inquinatum eſſe praviſſima loquendi conſuetudine. Eodemque modo de [1] Johanne Ravennate, & Coluccio Salutato judicare licet; qui nunquam etiam ab orationis aſperitate mæſtitiaque abeſſe potuerunt. *Alexander*. Gratiſſima iſta mihi fuerunt: Et ſane multum, ut dicis, horum gloriæ iniquitas temporum detraxit, & quaſi ingeniorum acies perſtrinxit. *Antonius*. Nunc autem octoginta fere annorum memoriam hoc ſermone complectemur. Sed quoniam uno tempore omnes, ac prope æquales fuerunt, multique ſunt multorum ætatibus implicati; dabitis veniam ſi minus ætatum ordines ſervabuntur. Magiſtro igitur Chryſolora, plerique noſtrorum hominum, tanquam ex palæſtra quadam impulſi ſe ad eloquentiæ ſtudium contulerunt. Quorum inprimis laudandus eſt [2] Leonar-

de Fontibus accurate potius, quam feliciter elaborati, quando jam illa decem dierum Fabula, Mileſiarum imitatione in gratiam oblectandi ocii, admirabili jucunditate compoſita, in omnium nationum Linguas adoptentur, & ſine ulla ſuſpicione interitus, applaudente populo cunctorum operum gratiam antecedant. Author noſter de Cardinalatu lib. 2. pag. 95. Boccaccium ob genus Etruſcæ locutionis laudat. Vide ſis doctorum hominum, Principumque induſtrias, ut *Decameron* expunctis damnoſis illecebris in manus omnium ad publicam utilitatem perveniret, in editionibus Leonardi Salviati apud Juntas.

1 Johannes Ravennas celebris Rhetor fuit, qui floruit prope an. 1400. Hic, Blondo teſte, *Petrarcham ſenem puer novit*. Celebris & iisdem temporibus Coluccius Salutatus duorum Summorum Pontificum a ſecretis, ac Reipublicæ Florentinæ Scriba, de cujus obitu Divus Antoninus: *An. Domini 1406. D. Coluccius migravit ad Dominum, qui fuit Cancellarius Communitatis per triginta annos, vir juſtus, ac rectus, magna ſcientia, & eloquentia, &c. Libros aliquos edidit poëticos; & ex deliberatione Magiſtratûs fuit coronatus laurea mortuus, ut Poëta; ſepultus honorifice in Eccleſia majori.* Flavius vero Blondus Corteſii ſententiæ adhærere videtur quum Ital. illuſtr. lib. 1. magis Coluccii doctrinam, quam eloquentiam laudet; quamquam id vitio ſæculi, ut diximus, adſcribatur.

2 De Aretino ſic Jovius in Elogiis: *Primus in Italia Leonardus Aretii natus, Græcarum litterarum decus a multis ſæculis Barbarorum immani tyrannide proculcatum erexit,*

NARDUS ARETINUS. Hic primus inconditam ſcribendi conſuetudinem ad numeroſum quendam ſonum inflexit; & attulit hominibus noſtris aliquid certe ſplendidius. Multæ ſunt in eo oratoriæ virtutes; gravis eſt in toto genere, & prudens, & ut illis temporibus non incultus. Hiſtoriam complexus eſt animo aliquanto majore; nam orationes ejus, quæ exſtant, non æque ac hiſtoriæ probantur. *Alex.* Eſt ut dicis, Antoni, nam & ego ſæpe legi funebres ejus quasdam laudationes, quæ mihi quidem non ſatis probabantur; atque id accidiſſe putabam, propterea quod nullæ exſtarent orationes funebres ex antiquiſſimis illis auctoribus imitandæ; ex quo minime mirum videri ſolebat, ſi Leonardus ipſe in eo præſertim dicendi genere orator fuerit; ſi modo orator, copioſior, quam aptior, aut ornatior. *Antonius.* Præclare intelligo quod dicis, Alexander. Et ſane mihi videtur nihil poſſe ornate, varieque dici ſine exercitatione, qua optimum quemque imitando effingimus. Quin etiam ipſemet multos jam ſæpe cognovi, qui potius in quodam imitationis genere, quam in differendi præceptis operam ponendam putarint. Sed tamen non erit eloquentiæ vis in hunc tam anguſtum locum adſtringenda, ut cum imitatio deſit, quicquam præclarum aſſequi nos poſſe diffidamus.

Quis

xit, atque reſtituit. Ejus enim incomparabili beneficio morales Ariſtotelis Libros optima fide traductos legimus, &c Hac ingenii fecunditate florentem Innocentius Septimus, quamquam plane juvenem, graviſſimo muneri parem, epiſtolarum Magiſtrum fecit, &c. Noviſſime revocatus in Etruriam populi Florentini res geſtas perſcripſit, nec multo poſt ſenex divitiis, & gloria plenus Florentia vita functus eſt: dignus utique ſepulchri titulo, ac marmoris ornamento, quod in Æde S. Crucis ſpectatur. Obiit an. 1443. ætatis ſuæ 74.

Quis dubitet orationes omnes funebres in laudationum genere verſari? Quis de laudibus dicturus, ſi nulla præſertim erit imitatio, ad artis præcepta non confugerit? Ars profecto via certior eſt, quam imitatio; qua opes atque ornamenta ad diſſerendum ſuppeditantur. *Alexander*. Dii immortales, quam jucunda iſta mihi fuerunt! Cupio me jam ab imitatione ad artis præcepta conferre. *Antonius*. Cave, Alexander, in Oratore quicquam putes eſse imitatione præſtantius. Nec enim eſt aliud imitari, quam effingere præſcriptam diſserendi artem. Sed quoniam ſine artificio tam facile poſsumus vitia, quam virtutes imitando conſectari; eam ob cauſam non deſinam vos, & cariſſimum mihi quemque cohortari, ut hæc diſserendi præcepta toto animo complectamini. Nulla eſt enim tanta ubertas ingenii, nulla tam diligens imitandi induſtria, quam ſine hujus artis ratione bene diſpoſita, ac præclare inventa poſſit effingere. Ex quo efficitur, ut plerique bona maxime probent; ſed cur probent neſciant. Iidem nihil laudis in ſcribendo conſequuntur, niſi quando fortuitu, aut natura. Intelligendum eſt igitur certiſſima quadam artis ratione, quid ſit ex arte ſcriptum; quid imitari debeamus; quando alienis exemplis; quibus ornamentis oratio noſtra coloretur. Sed hæc nimis fortaſse multa. *Paulus*. Immo pauciora, quam vellem. *Alexander*. Mihi vero, Antoni, tantum iſta profuerunt, ut nunc demum aliquid imitando conſequi me poſse putem; antea vero obducta caligine adumbratum

fuiſse . Sed jam iterum ad Leonardum revertere . *Antonius* . Leonardus igitur , cum admodum adoleſcens in Chryſoloræ ætatem incidiſset , litteras Græcas acerrimo ſtudio complexus eſt . Frequenter & legens, & audiens tantum his ſtudiis operæ dedit, ut multa celeriter ex Græcis mandarit latinis litteris. Habebat is quandam eloquentiæ formam animo comprehenſam, quam omnino, non ut voluit, ſed ut potuit expreſſit; & erat illi ingenium a natura capax omnium doctrinarum, quod etiam arte quadam expoliverat. Hiſtoriam vero ſcripſit accurate: conciones aliquot ſunt graves: conſilia, & bellorum initia, atque eventus explicantur valde prudenter: conſectatur in hiſtoria quiddam Livianum, non auſim dicere Ciceronianum . Sed cum hiſtoria ſit rerum omnium difficillima, tantum in ea imitandi induſtria, & bonitate quadam naturæ conſequutus eſt, ut omnibus mea ſententia, qui poſt eum fuerunt, facile præſtiterit. Et quamquam in toto genere minus plerunque lectis verbis utatur; ita tamen ejus oratio multis litteris, ac quibusdam ſententiarum luminibus expolitur, ut vitium potius corrupte loquendi ætati illi tribuas, quam ei ſcribendi laudem ademeris. Et ego video hunc nondum ſatis eſſe limatum, nec delicatiori faſtidio tolerabilem. Atqui! Dialogi Johannis Ravennatis vix ſemel leguntur, & Coluccii Epiſtolæ, quæ tum in honore erant, non apparent, ſed Boccaccii Genealogiam legimus, utilem illam quidem, ſed non tamen cum Petrarchæ ingenio conferendam. At non

vi-

Digitized by Google

videtis quantum his omnibus deſit? & cum in tanta aſperitate verſetur antiquitas, quantum ſplendorem Leonardus, quanta dicendi ornamenta attulerit. Num propter quædam inquinata, & obſoleta verba eum reſpuemus? *Alexander*. Sane quidem ſemper Leonardum, ut doctum hominem, ut eloquentem, ut illius ætatis principem laudavi; ſed noſti morem noſtrorum hominum, qui nihil niſi excultum, niſi elegans, niſi politum, niſi pictum probant. *Antonius*. Sit ita. Sed redeamus ad noſtros. Leonardi igitur fere æqualis fuit [1] Guarinus Veronensis, doctus magiſter. Is in domeſtica, & umbratili quadam exercitatione multa ſcripſit prudenter, ac probe, & docuit multos. Hujus domus quaſi officina quædam fuit bonarum artium. Nam cum illis temporibus diuturno, graviſſimoque bello Italia flagraret, & is eſſet iterum ſtatus, ut nemo fere adoleſcens non ſibi potius gloriam bello, quam doctrina quærendam putarit, nunquam ſunt ab eo inſtituendi, ac docendi ſtudia intermiſſa. Erat referta domus nobiliſſimis adoleſcentibus, qui ſe in ejus diſciplinam tradiderant: quotidie, & commentabantur, & declamabant, ac ita diligenter Græcis, Latiniſque litteris erudiebantur, ut omnes fere illius ætatis, qui aliquam ſunt ſcribendi laudem conſe-

1 *Ab hoc inſigni viro Græcæ, Latinæque litteræ obſcuris illis temporibus, antiqui ſæculi normam, quadrataque ſtructura ordinem, & diu quæſitum decus receperunt. Hujus quoque immortali beneficio Strabonem ferme totum legimus, atque item aliquot Plutarchi Vitas in Latinum accurate converſas.* (Jov. in Elog.) Multos item Guarinum docuiſſe teſtatur Pius Secundus de eo inquiens: *Magiſter fere omnium, qui noſtra ætate in humanitatis ſtudio floruerunt* (Comment. lib. 2.) multaque alia elucubraſſe docet laudatus Author additionum ad Voſs. in Ephemer. Lit. It. T. XII. annum inter alia oſtendens ejus obitus, qui fuit 1460.

ſequuti, ſe ſe omnino faterentur, ex hujus hominis umbraculis, tanquam ex ludo quodam honeſtiſſimarum artium profectos. Is igitur cum ſcribendo, tum docendo quæſivit ſibi id nominis, quod etiam hac ætate omnium ſermone, & fama celebratur. Genus tamen dicendi inconcinnum admodum eſt, ac ſalebroſum: utitur plerunque imprudens verbis poëticis, quod eſt maxime vitioſum; ſed magis eſt in eo ſuccus, quam color laudandus. Hunc Georgius Trapezuntius exagitat, ut præfractum, & puerilem in compoſitione. Memoria teneo, quendam familiarem meum ſolitum dicere: melius Guarinum famæ ſuæ conſuluiſſe, ſi nihil unquam ſcripſiſſet; tam vehementem opinionem ejus doctrinæ eſſe in animis hominum inſitam, ut non modo nomen ejus non illuſtretur ſcriptis, ſed etiam in dies magis obſcuretur. Ego vero non ita ſeſe rem habere exiſtimo, nec temere Guarino gravitatem quandam in ſcribendo, nec multarum rerum cognitionem adimo; ſed tamen non omnia in eo probarim. Nunquam enim aſperitas in dicendo laudatur. At laudandus eſt, ut qui multum noſtris hominibus profuerit, & ut qui, ſi non perfectam eloquentiam (cujus ſpeciem, quaſi per caliginem quandam viderat) at aliquam in ſcribendo laudem ſit conſequutus. Iisdem temporibus fuit [1] NICOLAUS

[1] NICOLAUS NICCOLUS Patr. Flor. qui Florentiæ obiit an. 1436. ætatis ſuæ ſeptuageſimo tertio, ut patet ex ſepulcrali elogio in periſtylio Eccleſiæ Sancti Spiritus, Latinas Græcaſque literas amicorum ope non parum juvit. De quo ſic Poggius in funebri Oratione in ejus obitu: *Qua in re vere poſſum dicere, omnes Libros fere, qui noviter tum ab aliis reperti ſunt, tum a me ipſo &c. Nicolai ſuaſu, impulſu, cohortatione,*

laus Niccolus, qui magnam gloriam adeptus eſt in colendis amicitiis doctiſſimorum hominum. Fuit, & [1] Nicolaus Saguntinus Chalcidenſis homo Græcis litteris, & Latinis eruditus. Erat in dicendo ſatis copioſus, ſed parum vehemens, & in affectibus viro mollior, ut maxime in ſuo libello, quem de naufragio ſuo ad Beſſarionem Nicenum ſcripſit, apparet. Et [2] Aurispa Siculus ſane doctus, & honoratus fuit. Eodemque in genere, & [3] Candidus habebatur; ſed avidior duritatis, quod orationis mœſtitia inſolentius uteretur. Tum etiam conſtat, Nicolaum Euboicum memoria præſtitit; ſed iſtorum omnium fuit diſciplina horrida, & agreſtis, ſine nitore elegantioris induſtriæ. Nondum erat tunc politior ſcribendi ratio importata. Atque horum ætati adjuncti ſunt duo fere æquales, [4] Petrus Paulus Vergerius, &

tione, & pene verborum moleſtia eſſe litteris latinis reſtitutor. Videre eſt Nicolai Teſtamentum ubi vocantur exequutores Viri omnes ſumma prudentia ac literis præditi, apud Cl. V. Salvinum Salvinium Canonicum Florentinum, qui plura ad hunc Dialogum ſpectantia humaniſſime ſuppeditavit.

1 Hunc vocat paulo poſt NICOLAUM EUBOICUM. De eo Matthæus Palmerius in Chron. *Nicolaus Euboicus Latina, & Græca Lingua, atque elegantia princeps laudatiſſimus habetur, qui frequenti Concilio medius aſſiſtens, multis, & eruditis viris audientibus, &c.* Æneas Sylvius in Coſmograph. cap. 54. *Nicolaus Saguntinus utraque lingua diſertiſſimus, ingenio facundiaque juxta promptus illuſtre nomen adeptus eſt.*

2 JOHANNES AURISPA patrià Netinus, plurium linguarum cognitione, carminibus proſaque oratione clarus, de quo luculenter Antoninus Mongitor in Biblioth. Sicula.

3 PETRUS CANDIDUS December e Viglebano Urbe, quæ eſt inter Padum, & Ticinum, Laurentii Vallæ teſtimonio exactiſſimæ cenſuræ Grammaticus, Mediolani Græce, Latineque docuit præſtanti eruditionis, ac eloquentiæ fama. Anno 1477. octogenarius fato functus eſt. Huic litteras ſcribit Franciſcus Philelphus. Citatur hic Corteſii locus a Cl. Viro Apoſt. Zeno in addit. ad Voſſ. in Ephemer. literator. Ital. T. 12.

4 Diſcrepat judicium Johannis Matthæi Toſcani, qui ait: *Vergerii Juſtinopolitani Liber de ingenuis moribus, ac liberalibus ſtudiis, præ cunctis ejus lucubrationibus probatur a doctis; eſt enim nitido, ac dilucido ſtylo conſcriptus. At Arrianum inculto ſermone vertiſſe de induſtria traditur.* (Pepl. Ital.) Diſcrepat & illud Pauli Jovii ita de Ver-

& [1] SICO POLENTONUS; uterque a puero doctus, ſed alter ornatior, non tamen adeo cultus, ut ſit hac eruditiori ætate tolerabilis. Libellus de Adoleſcentia, quem pueri legebamus, vix comparet, & bene olet (ut dicitur) quod nihil olet. Alterius ſunt viginti ad filium Libri ſcripti de claris Scriptoribus, utiles admodum, qui jam fere ab omnibus legi ſunt deſiti. Eſt enim in judicando parum acer, nec ſervit aurium voluptati, quum tractat res ab aliis ante tractatas; ſed hoc ferendum. Illud certe moleſtum eſt, dum alienis verbis, ſententiiſque ſcripta infarcit, & explet ſua; ex quo naſcitur maxime vitioſum ſcribendi genus, quum modo lenis, & candidus, modo durus, & aſper appareat, & ſic in toto genere, tanquam in unum agrum plura inter ſe inimiciſſima ſparſa ſemina. Inter horum ætates interjectus eſt [2] MAPHEUS VEGIUS, qui tum Poëta numerabatur, ingenioſus ille

Vergerio ejuſque Libello loquentis: *Latine autem ſcribendi ſingularis eo ſaculo facultas enituit, uti apparet ex eo libello, qui de educandis liberis ad exactam diſciplinam peramæne, atque prudenter ſcriptus, me puero in ſcholis legebatur*. Editus eſt Brixiæ 1485.

1 Melius forſan XICCO. Patavii enim in Divi Joannis in Viridario, ut refert Scardeonius Lib. 2. Claſſ. 8. erectum nobile monumentum *Modeſto Polentono Equiti inſigni, & Juriſconſulto excellentiſſimo Xicconis Polentoni eximii Oratoris filio*. De hoc nomine audiendus Jo: Gerardus Voſſius, rem ita expendens. *Verum autem nomen Xicco eſſe indicat manuſcriptus Carrarienſium codex, &c. in quo Inſtrumentum publicum legitur, quod nomine Domini Franciſci junioris de Carraria confecit*. Hic Civis Patavinus, & Reipublicæ ejusdem Scriba fuit. Reliquit volumen magnum De illuſtribus Scriptoribus Latinis.

2 Vide Paulum Jovium in Elog. ita de MAPHEO VEGIO Laudenſi diſſerentem. *Qui heroico ſpiritu Maronem feliciter amulatus, quum Æneidem addito libro ſuppleviſſet, omnes fere a mille annis illuſtres Poëtas, nec excepto quidem Petrarcha laureato, praclara eum laude ſuperavit. Sed gravioris quoque doctrina, & ſumma prudentia opinione, Martini Pontificis amicitiam conſequutus, in conferendis Sacerdotiis ſupplicium libellorum officio prafuit, ita ut mox Eugenio, & Nicolao cariſſimus fuerit*. Ejuſdem Supplementum Æneidos Pub. Virgilii impreſſum fuit Venetiis 1485. Librum vero de ſignificatione verborum in jure civili, aliumque de educatione liberorum, Vicentiæ, ac Mediolani impreſſos fuiſſe monet Orlandus de Orig. Typogr. Ceterum Vegius obiit an. 1457.

ille quidem, ſed aliquanto turgidior, necdum ſatis politus, quanquam ætatis illius iſtud fuit vitium. *Alexander*. Audax iſte quidem fuiſſe videtur, & animi maximi; utinam majoris facultatis, qui Maroni voluerit vicarius ſuccedere. *Antonius*. Scitum eſt illud Poëtarum, neminem meliorem quam ſe putare, & ſua cuique placere. Nam quum Poëta vi naturæ inflammetur, nunquam deſperat, quod optimum eſt; & propterea multos decipit illa P. Maronis blanda ſui conciliatrix Muſa, quum dulci tantummodo ſono deliniti reconditum artificium non agnoſcant. Sed ut ad rem redeam, ejusdem etiam ætatis fuit [1] AMBROSIUS Monachus Græcis litteris doctus. Scribebat facile, & naturalem quendam dicendi curſum habebat oratio, ſed admodum incultum. Erat in hoc homine inexhauſtus quidam legendi amor; nullum enim patiebatur eſſe vacuum tempus. Quotidie, aut ſcribebat, aut aliquid ex Græcis, Latinis litteris mandabat. Plura tamen orſus eſt, quam abſolverit. Nemo certe plus ſtudii, quam ille ad eruendos ex adyto priſcorum libros adhibuit.

1 Paulus Jovius: AMBROSIUS *Monachus ex Ordine Camaldulenſium, qui ſupra Florentiam in opacis Apennini jugis dicatam cœnobio vitam ſevere ducunt, doctrinæ gravitate, ac ingenii præſtantia æquales ſuos anteceſſit. Græce enim, atque Latine doctiſſimus, complectente Coſmo, & mox Eugenio, & Nicolao admirantibus, ſummum ejus Ordinis honorem, qui Generalis Præfectura hodie dicitur, ita adeptus eſt, ut eum conſtanti judicio Patres purpura deſtinarent. Dionyſium enim Areopagitam de cœleſti hierarchia, divino Spiritu proloquentem ſingulari eloquentiæ puritate Latinis expreſſerat, atque item Diogenem Laërtium, verum non eadem cura perpolitum. Sed & ſacris operibus Bibliothecam, quæ ad Angelos ſpectatur, emulate reſeret: quibus exiſtimari poteſt, nequaquam ei vires, & facultates, ſed animum omnino defuiſſe, ut ad Romanæ facundiæ faſtigium perveniret; abſtractus enim in altitudinem Chriſtianæ contemplationis, uti pium ſacratumque Virum decebat, totius vitæ ocium in divinis literis conſumpſit*. Vide Gaddium de Scriptor. non Eccl. T. 1.

Carus hic fuit Coſmo Medici; nam ſemper magnus ille Vir ſecum habuit palam doctos homines, quorum in congreſſu, & ſermone, quum eſſet publicis muneribus vacuus, tanquam in jucundo quodam animi laxamento requieſcebat. *Alexander*. Mea quidem ſententia eſt Principes illius ætatis multum ſummis ingeniis profuiſſe. *Paulus*. Eſt ut dicis; aluntur profecto præmiis hæc ſtudia, & quaſi in Principum ſinu pubeſcunt. Sed perſequere, Antoni, ut cœperas. *Antonius*. Tum etiam eo genere numerabatur [1] LEONARDUS JUSTINIANUS, homo per ſe magnus, &, ut apparet ex Orationibus, non indiſertus. Exſtat ejus quædam funebris laudatio, bona illa quidem, ſed non ſatis ſplendida verbis, & quæ magis copiam quandam, quam oratorium artificium præſeferat. Nam hæc ætas ponebat eloquentiam in orationis quadam abundantia, nec plane cognovit quid eſſet ſatis; quum magnam ſe quiſque in dicendo laudem adeptum putaret, ſi multa acervatim complexus fuiſſet. Quod genus ſcribendi ſpretum eſt, ac repulſum ab acrioribus ingeniis: quoniam omnis oratio ita & verborum, & ſententiarum ornamentis componenda eſt, ut non intemperanter excurrat, ſed ſit ei ſuorum finium quidam circumſcri-

1 Jo: Gerardus Voſſius de Hiſtor. Lat. hæc habet: *Anno 1430. magno in pretio erat* LEONARDUS JUSTINIANUS *Patricius Venetus, & Eques aureatus Leonardi Juſtiniani clariſſimi Oratoris non filius quidem, ut Philippus Bergomas tradidit, ſed ut bene apud Volaterranum eſt, nepos. Non ſemel eum laudat in Conviviorum Libris Philelphus. Idem præterquamquod orationem funebrem in Carolum Zenum edidit, ſcripſit, vel potius velut Paraphraſtes ex Scriptoribus Græcis conſarcinavit Vitam S. Nicolai*. Vide plura apud Cl. Virum Apoſtolum Zenum in Ephem. Litter. Ital. T.IX.

ſcriptus locus. Horum æqualis fuit [1] Carolus Arretinus illis etiam temporibus honoratus. Pauca is admodum ſcripſit, quæ neſcio quo pacto jam exaruerunt, vel potius non apparent. Et [2] Johannes etiam Tortelius Arretinus ſcriptor fuit ſane probabilis. Conjunctiſſime is vixit cum [3] Nicolao V. Pont. Max. nam ipſum etiam Nicolaum doctum hominem ferunt, & non infantem fuiſſe; in quo magnum documentum fortunæ fuit, quam celeriter extollat quem ſemel complexa ſit. Is enim biennii ſpatio gradibus aſcendens, ſummam eſt adeptus orbis terræ dignitatem; idque eo contigit honorificentius, quo nemo eſſet, qui illum eo honore non dignum arbitraretur; & merito id quidem,

 quan-

1 CAROLUS nempe ex Familia de MARSUPPINIS. Æneas Silv. in Hiſt. Europæ hæc habet: *Commendanda eſt multis in rebus Florentinorum prudentia, tum maxime quod in legendis Cancellariis, non Juris ſcientiam, ut pleraque Civitates, ſed Oratoriam ſpectant; & quæ vocant Humanitatis ſtudia; norunt enim recte ſcribendi, dicendique artem, non Bartolum, aut Innocentium, ſed Tullium, Quinctilianumque tradere. Nos tres ex ea Urbe cognovimus, Græcis, & Latinis conditorum Operum fama illuſtres, qui Cancellariam alius poſt alium tenuere; Leonardum, & Carolum Arretinos, & Poggium ejusdem Reipublicæ Civem, qui Secretarius Apoſtolicus tribus quondam Romanis Pontificibus dictarat Epiſtolas.* Flavius vero Blondus in Ital. illuſtr. *Per ætatem quoque noſtram eloquentiſſimo, & clariſſimo Leonardo Arretino, Caroloque Græcis, & Latinis litteris eruditiſſimo, nunc populi Florentini Cancellario, &c. Urbs Arretina decorata eſt.* Obiit an. 1453. & a Matthæo Palmerio Viro diſertiſſimo laurea coronatur. Vide ſæpe laudatum Virum Apoſtolum Zenum in Ephemer. Litter. Ital. T. X.

2 De JOHANNE TORTELIO Arretii nato Archipresbytero Arretino, ac *Domini Papæ Subdiacono*, ut in quibusdam monumentis laudatiſſimæ Bibliothecæ Stroziæ legitur, memoriæ proditum eſt, quod eum Valla omnium Grammaticorum hoſtis mire dilexit, & tanquam ſummum ſibi cenſorem delegit, ſuoque encomio ornavit, ut Græce Latineque apprime eruditum, quibus artibus in intimam ſe Nicolai Pontificis inſinuavit familiaritatem. Vide Jo: Matt. Toſc. in Peplo Ital. & Paul. Jov. in Elog. Doctor. Viror. ac plura ſi libet in ſæpedictis additionibus Cl. Zeni ad Voſſium de Hiſtor. Lat. in Ephemer. Litter. Ital. T. XI. ubi Tortelii vitam annum non exceſſiſſe 1456. invenies.

3 De NICOLAO QUINTO Sum. Pont. qui antea Thomas Sarzanenſis appellatus eſt, viro litterarum, litteratorumque amantiſſimo, vide Platinam, Ciacconium, Jannotium Manettum in ejus Vita, & alios, inter quos Buſſieres in Floſcul. Hiſtoriar. Deceſſit an. 1455.

quando, & multa egit in vita præclare, & ab eo ſunt docti homines & opibus aucti, & honoribus. Sed temporibus iisdem magnum vulnus res Latinæ ex direptione Byzantii pulcherrimæ, atque florentiſſimæ urbis acceperunt. Emerſerat e patriis regnis Maumethes ſpe potiundæ Græciæ inflammatus, ſibique perſuaſerat fore homo ſcientiſſimus rerum bellicarum, ac felix, ſi occupato Byzantio facultas daretur ad Græciam opprimendam. Nec enim eum fefellit opinio: nam capta, atque direpta urbe, facillime reliquus curſus patuit. Sed malo in tali re ſilere, quam veteres calamitates deplorando augere dolorem noſtrum. Hoc tamen dicam, quod ad rem pertinet; magnum damnum excidio Græciæ latinas litteras feciſſe, quum a Græcis multa in Italiam importarentur, & noſtri item ſtudiorum cauſa Byzantium tanquam ad domum quamdam doctrinæ proficiſcerentur. *Alexander*. Sine iſta, Antoni, nec enim unquam Latinis rebus, ut dicis, calamitoſior dies illuxit, nec tetrior; ſed exiſtimare debes plures poſt importunam illam cladem in Italiam confluxiſſe, quam unquam antea. Sed iſta omittamus. *Antonius*. Tum multum eloquentiæ habuiſſe dicitur FRANCISCUS BARBARUS, cujus de ingenio, doctrinaque ex eo libro, quem de re uxoria ſcripſit, exiſtimari poteſt. Hujus gloriam illuſtrioribus litteris, & gravioribus artibus cumulavit [1] HERMO-

1 FRANCISCI ſuperioris nepos HERMOLAUS, Patriarcha Aquilejenſis electus, qui immatura ætate obiit an. 1493. *Vir omnium diſciplinarum peritiſſimus* nuncupatur a Ni-

molaus Nepos. Sed multum duo doctrina præſtiterunt [1] Jannotius Manettus, & [2] Baptista Albertus: quorum alter unus omnium doctiſſimus putabatur; alter etiam in Architectura diſertus fuit. Sed in Jannotio admirabile quoddam ſtudium omnium doctrinarum fuit; ſed neſcio quo pacto ſit hujus ſummi viri, quam aliorum paullo ante dictorum nomen obſcurius. Ex quo profecto intelligi poteſt, plus valere ad famam, & celebritatem nominis unius ſimplicis generis virtutem abſolutam, quam multa annexa genera virtutum non perfectarum. Tum etiam ex eo genere numerabatur [3] Pallas Stroza, quem

a Nicolao Leoniceno in Epiſt. ad Angelum Politianum. *Omnium e ſua civitate, qui ante illum nati eſſent, Latinorum, & Graecorum litteris doctiſſimus*, a Petro Bembo. De eo Jovius in Elog. Jo: Matthæus Toſcani in Peplo It. ae Paulus noſter de Cardinalatu Lib. 2. pag. 60.

1 Jannotius Eques Manettus, Patricius Florentinus tribus Summis Pontificibus a Secretis, a Naldo Naldio, Poggio, aliiſque multis laudatur. Hunc Eugenius IV. Pontifex modo appellabat *Virum dignum ſupra omnes Reipublica Florentina*, modo *Republicâ Romanâ dignum*. Vixit Alphonſo, Ferdinandoque Siciliæ Regibus charus, obiitque Neapol. an. 1459. ætatis ſuæ 64. Vide Cl. Zenum in Ephem. Litt. It. T. XI. ubi plurima Manetti Opera numerantur. Ejus Vitam Cl. Vir Ludovicus Antonius Muratorius nuper edidit inter Rerum Italicar. Scriptor.

2 Simile huic judicium eſt Franciſei Bocchii, qui quum narret una cum Paulo Jovio, atque Jo: Matthæo Toſcanio, Leonem Baptistam in pictura ſcripſiſſe de receſſibus, & umbris, reliquiſſe Apologorum urbanæ gravitatis libellum, quo vel Æſopum inventionis amœnitate ſuperaſſe, de vita Civili Libros non ſine laude elucubraſſe, demum in doctrinis humanioribus eruditiſſimum evaſiſſe; ſubdit: *Declarant Libri decem, quos de Architectura ſcripſit, qui vir, & quantus eſſet, &c. Nihil enim venuſte, nihil commode moliri, aut fabricari atas ſuperior ſolita erat, cum Leo Albertus res multas, easque praclaras ſuo ex ingenio depromſit; & ut poſſet unuſquiſque ad ſuum commodum explicare, declaravit eis in libris tam docte, tam induſtrie, ut a viris peritiſſimis Vitruvius ſit Florentinus appellatus.* Hic Florentiæ familiâ Albertâ nobiliſſima ortus eſt. Teſtatur Paulus Jovius *Leonis Baptiſta Politianum audita ejus morte nobile encomium cecinîſſe*; quemadmodum fecerunt Janus Vitalis, Latomus, aliique; encomium fortaſſe illud eſt, quo Politianus epiſtolam incipit Laurentio Medicei, quæ inter illuſtrium Virorum Epiſtolas ab Angelo Politiano collectas ſeptima eſt Libri Decimi.

3 Hic ex nobiliſſima familia Strozia Eques auratus, varia opuſcula edidit, ut teſtes graviſsimi ferunt, præſertim in ſuis Epiſtolis Franciſcus Philelphus, qui eum

Biblioteca Naz. Vittorio Emanuele Roma

quem cum natura, tum ſtudio doctrinæ ſapientem ferunt. Excelluit enim is unus in omni genere virtutis. Nemo domi comior fuit, nemo jucundior. Nemo foris conſtantior, nec gravior, nec fortior. Nec longo intervallo aberat [1] BENEDICTUS ARRETINUS, qui bellum Aſiaticum magnum, atque difficile diligentiſſime proſequutus eſt; attulitque lumen rebus involutis: nam illis temporibus in [2] POGGIO FLORENTINO quædam ſpecies eloquentiæ apparuit; in quo ſi tale artificium fuiſſet, quale ingenium ad ſcribendum fuit, omnes profecto ejus æquales dicendi gloria viciſſet. Is Orationes reliquit, quæ & facundiam, & mirificam ingenii facilitatem oſtendunt. Tendebat toto animo, & quotidiano quodam uſu

eum etiam poſt mortem diſertiſſima Oratione (quem MS. ſupereſſe ajunt) parentavit Patavii, ubi Pallas nonagenarius deceſſit an. 1462.

1 De BENEDICTO ACCOLTI Arretino J. C. ac Reipublicæ Florentinæ a Secretis loquuntur Jo: Ger. Voſſius de Hiſtoricis Latinis, Oldoinus in Ath. Rom. Gaddius de Scriptorib. non Eccleſ. Fuſius vero Cl. Zenus Tom. XI. Ephemeridum ſæpe citat. qui inter alia annum ejus obitûs nempe 1466. ætatis autem 51. oſtendit. Dialogum Arretinus lucubravit, in quo quæritur, an præſtantiores in litteris eſſent veteres, quam recentiores homines; qui non multis ab hinc annis formis excuſus eſt. Scripſit de Bello Chriſtianorum contra barbaros Libros quinque, de quibus Corteſius ait: *Bellum Aſiaticum magnum, atque difficile, diligentiſſime proſequutus eſt;* quibus etiam tanquam argumento nobiliſſimi Poëmatis, vulgo *il Goffredo*, Torquatus Taſſus uſus eſt.

2 Nec diſſimile eſt illud Henrici Bebelii; qui de POGGIO ait: *copiâ, venuſtate, facilitate naturali, & ſponte naſcenti eloquentia jucunditate inaffectata longiſſimè praecellere Valla Poggium non eſt ambiguum* (in litt. ad Leonardum Dunum an. 1513. Tubingæ ſcriptis) Judicium Eraſmi in Ciceroniano tale eſt: *Poggius Florentinus vividæ cujuſdam eloquentiæ vir, &c. naturæ ſatis erat, artis, & eruditionis non ita multum*. Paulus vero Jovius: *Poggius e Terranova Florentinæ ditionis oppido, in hac luce Romani cœli optimis litteris ingenium ita expolivit, ut Pontificiis ſcriniis præficeretur; æquatus ſcilicet honore ſummis viris, qui in eo munere fidelis, eruditique ingenii operam præſtitiſſent*. Natus eſt an. 1380. obiit 1459. Vide ejus Vitam a Cl. Viro Jo: Baptiſta Recanato Patricio Veneto luculenter deſcriptam. Poggii ingenioſam in dicendo facilitatem memorat Corteſius alibi.

uſu ad effingendum M. Tullium. Sed habet hoc dilucida illa divini hominis in dicendo copia, ut eſtimanti ſe imitabilem præbeat, experienti ſpem imitationis eripiat. Eam igitur dicendi laudem Poggius ſi non facultate, at certe voluntate complectebatur; ſcripſit etiam Hiſtoriam. Sed eſt magnum munus hiſtoria; &, ut paulo ante dixi, omnium rerum difficillimum. *Alexander*. Ego vero ſæpe ſoleo mirari, quid ſit, quod cum Hiſtoria tot, tantarumque rerum diſſimilitudinem complectatur, nulla præcepta in priſcorum artibus tradantur, quæ quomodo ſcribendum, quid ſervandum ſit in Hiſtoria doceant. Nam, ut omittam ſtudia diſciplinarum maximarum, omnium artium opifices habent ſua præcepta. Architectus ab his non diſcedit; Muſici etiam his erudiuntur, quando vocum mutationes facere debeant, quando ſcilicet cantus aut inflexam, aut gravem, aut acutam vocem poſtulet. Alii in lineis, alii in menſuris, alii ad fingendum, alii ad pingendum certis præceptis utuntur; ex quo intelligitur nihil magnum fieri poſſe ſine quadam artis ratione: Hiſtoriam autem, tam arduum, tam difficile opus nihil habere præceptorum, non deſino hercle ſatis mirari. *Paulus*. Ego quoque iſta, quæ dicis, Alexander, mirabar, & ſane angebar intimis ſenſibus, quod a noſtris hominibus Hiſtoriæ præcepta ignorarentur; nam priſcos illos, ut ex eorum Hiſtoriis apparet, præclare intelligebam hujus artis præcepta tenuiſſe; noſtros autem his inſtrumentis omni-

omnino carere, atque eosdem in hoc præſertim ſcribendi genere nihil admodum laudis conſequi poſſe, niſi quando temere, aut caſu. *Antonius*. Video, pleriſque viſum eſſe Hiſtoriam ſine ullis ornamentis oratoriis ſcribi oportere, quod tollerent veritatem, & fidem; multum referre non eſſe mendacem: ego vero ut opinionem iſtorum non libenter laudarim, ita certe non repudiaverim. Et profecto magni intereſt, ubi tantummodo rerum geſtarum veritas quæritur, mendacem, & fabuloſum putari. Sed tamen quid attinet vere ſcribere, ſi omnia obſcure perturbaveris? Ac mihi quidem hujus rei principium cogitanti, ad delectationem, & utilitatem adinventa Hiſtoria videri ſolet, quæ omnino rebus, & verbis continetur. Res, ut proſint, ſpatia, & temporum ordinem deſiderant. Verba vero nunquam voluptati inſervient, niſi concinnitatem retineant. Repudianda erit igitur horum opinio, & adhibendum artificium quoddam, ut prodeſſe pariter, & delectare poſſimus. Sed neſcio quo pacto ad hæc delapſi ſumus, cum id vos initio minime requireretis. *Paulus*. Immo iſta requiſivimus, Antoni, & ſunt ſane neceſſaria. *Alexander*. Mihi vero iſta jucunda fuerunt; & utinam tibi, Antoni, cumulatius iſta augere licuiſſet: ſed dabitur fortaſſe aliquando commodius tempus hujus muneris amplificandi. Nunc ad inſtitutum ſermonem revertere. *Antonius*. Belle exigis a me, Alexander, tam magnum locum, & tantum hercle de me polliceris, ut ſi hoc vobis

ne-

negarim, non tam laborem me judicis refugiſſe, quam veſtræ voluntati obſequi noluiſſe arbitremini. *Alexander*. Atque nihil a te poſtulatur, niſi tuo commodo. *Antonius*. Jocaris etiam mecum, Alexander, & ego quoque in hoc admodum delector, & ſino adulari, ac irrideri me interdum ab amicis. *Alexander*. Non eſt ita, Antoni; ſcitum eſt enim nihil eſſe in amicitia perniciofius adulatione, & blanditiis. *Antonius*. Quid ergo? Credisne, me modo ea auſurum dicere, quæ ſint a priſcis illis viris relicta? *Alexander*. Ego vero ex te iſtud non requiſivi, ut omnes leges, quæ ſunt in Hiſtoria ſervandæ, quaſi in ſchola quondam explicares: ſed ſi quod daretur vacuum tempus, poſtulabam, ut inter nos hoc munus attingeremus. *Paulus*. Quin tu, Alexander, omittis iſta, quæ præparatum ocium poſtulant. Tu vero, Antoni, perge quo cœpiſti: neque enim impediendus eſt interpellatione jam ſuſceptus ſermo. *Antonius*. His igitur floreſcentibus proximus accedebat [1] Georgius Trapezuntius, bonus ſane Rhetor, qui aliquot annos populo Romano utiliſſimam operam præbuit, & docuit cum

D mul-

1 *Is Græcorum fere primus Romæ eo tum ſæculo renaſcentibus litteris, qui Græca feliciore ſtilo in Latinum verterit exiſtimatus eſt, uti liquidiſſime conſtat ex Ariſtotelis, ſacriſque Euſebii Cæſarienſis operibus, & ex rhetoricis præceptis Hermogenis. Erat enim ingenio ad lucubrandum maxime valido, vehementique, ſed, uti mox apparuit, tetrici livoris pleno; nam quum ſe Peripateticum profiteretur, unumque Ariſtotelem extollendo celebraret, uſque adeo ſuperba aure fuit, ut nec divini quidem Platonis ingenium laudari pateretur, cujus etiam dogmata, & mores peracerbe, ac inſolenter edito famoſo volumine laceraret.* Hæc ab Jovio; at Eraſmus in Ciceroniano Trapezuntium vocat Virum egregie doctum, deque re litteraria pulchre meritum. M. Antonius Sabellicus Trapezuntium Beſſarioni in dicendi facultate prætulit. Patria fuit Cretenſis, ſub Nicolao V. Scriba Pontificius. Obiit Romæ prope an. 1484.

multos, tum etiam multa ſcripſit de artificio dicendi; & adhibuit in ſcribendo illa adjumenta, quæ habuerat a Peripateticis, qui præter ceteros Philoſophos rationem dicendi latioribus quibusdam præceptis complectuntur: qui mos erudiendæ juventutis retentus eſt a [1] POMPONIO noſtro: vir enim per ſe magnus incredibilia ſtudia ad eloquentiam limatioremque elegantiam convertit. Eodem tempore [2] ANTONIUS LUSCUS fuit Rhetor quoque non contemnendus, quem etiam non indiſertum dicunt fuiſſe; nam [3] VICTORINUS FELTRENSIS, is quoque per tot annos toti Galliæ Tranſpadanæ tradidit præcepta dicendi, iisdem fere laudibus cumulatus fuit: nec verò [4] GASPARINUM VERONENSEM prætereundum puto. Erat is diligentiſſimus, ac prope perfectus Grammaticus; ſed ipſo Orationis genere exilis, & triſtis, nimia enim cura attenuabat orationem. Et

1 JULIUM POMPONIUM LÆTUM Sanſeverina illuſtri familia in Picentinis natum ferunt, qui floruit Pauli Secundi temporibus. De eo Vide Jo: Matth. Toſc. in Peplo Ital. atque Ludovicum Vives, qui ubi de conſcribendis epiſt. ait: *Romana puritatis* (Pomponius) *adeo ſtudioſus, ut nec Græce quidem ſcire voluerit, ne quid alienum ſonaret, aut admiſceret Lingua illi; ita & verba habet electa, & dictionem ſatis caſtigatam.*

2 In Archivo Gen. Flor. per Rog. Ser Agnoli Pieri Thomæ de Terranova, legitur *Anno* 1429. 27. *Octobris Dominus* ANTONIUS *olim Domini Ludovici de* LUSCHIS *de Vicentia Secretarius Summi Pontificis facit ſuum procuratorem nobilem, & diſeretum Virum Antonium Dominici Buonaſè.* Memoratur a Fr. Philelpho, qui illi epiſtolas ſcribit.

3 VICTORINO FELTRENSI Magiſtro uſum fuiſſe ferunt inter alios Theodorum Gazam, uſque adeo eum copioſe, & diligenter latinas litteras didiciſſe, ut longe omnium latiniſſime ſcriberet. Victorinus veluti D. Antonino Florentino Archiepiſcopo par virtute, ac pietate laudatur a Franciſco Caſtilionenſi Eccleſiæ S. Laurentii Canonico, ut refert Gaddius de Scriptorib. non Eccleſiaſt. T. I. pag. 9.

4 De GASPARINO Pergamenſi dictum facili negotio putarem, utpote qui Epiſtolarum Cynicarum Opus edidit Pariſ. circa an. 1470. per Ulricum Gering, & ſoc. in Domo Sorbonæ, poſtea vero recuſum Baſileæ 1489. de quo vide Peregrinum Antonium Orlandi de Artis Typographicæ progreſſibus.

Et [1] OMNIBONI quoque LEONICENI in docendo cognita induſtria eſt. Erat in ſcribendo ſatis amplus, ſed parum nitens, aut excultus: nullus candor eſt Latini ſermonis, neque flos ullus, quem in oratione requirimus. Horum ætatibus adjunctus eſt [2] LAURENTIUS VALLA ſcriptor egregie doctus, ſed erat acer, & maledicus, & toto genere paullo aſperior; diligentiſſimus tamen Romanarum rerum, atque verborum inveſtigator. Moleſtus erat, & ſtomachoſus; nihil admodum alienum laudabat; ſua vero cum diligentia, tum acri quodam judicio expendebat. Limatior hic fortaſſe quam cæteri, nihilo tamen candidior fuit. Floruit hujus domus aliquandiu, & quaſi ludus quidam fuit civium Romanorum. Verum poſtea is vel odio ſervitutis, vel deſperatione quadam dignitatum adipiſcendarum ab urbe Neapolin ad Alphonſum Aragonum Regem eſt profectus, ubi aliquot annis fuit magna cum gloria ingenii, & famæ; nam Alphonſus ipſe ad ſummas, in-

1 OMNIBONUS LEONICENUS inter illuſtres Johannis Ravennatis Diſcipulos numeratur a Flavio Blondo Ital. illuſt. Lib. IV.

2 VALLA Patricius Romanus, & Canonicus S. Johannis Laterani *a Gothicis temporibus* (inquit Jovius) *uſque ad patrum noſtrorum memoriam prealto ſepultos ſomno cives ſuos ad nobilium litterarum ſtudium excitavit. Indignatus enim tamdiu corrumpi ſaculum leguleorum, & ſophiſtarum immani conſpiratione, optimaſque artes inculta ſermonis barbarie defœdari, elegantiarum Libros edidit, traditis Romana elocutionis praceptis ex accurata veterum ſcriptorum obſervatione, &c. Extant invectivarum, & recriminationum aliquot Libri, erudite ſalſeque perſcripti; quibus dum læſi nominis famam tueretur, Facium Ligurem, Panormitam, Poggium, & Raudenſem jugulaſſe videri poteſt. Flagellatis quoque regionum ludimagiſtris, uti multa bile redundans, quod nihil in aula Pontificis ſibi placeret, Neapolim ad Alphonſum Regem ſe contulit.* Ibi tres Libros ſcripſit de rebus Ferdinandi Regis Aragoniæ ejusdem Alphonſi patris. Vide Trithemium, Toſcanum, alioſque. Obiit Romæ quinquagenarius anno Chriſtianæ ſalutis 1457. Ceterum Corteſii judicium de Valla probatur in additionibus ad Voſſium T. XI. Ephem. Litterat. Ital. pag. 318.

incredibileſque ejus virtutes adjecerat etiam hanc laudem, ut non ſolum hominibus doctis familiariſſime uteretur, ſed etiam haberet in convictu. *Alexander*. Quid ergò eſt cauſæ, ſi tam diligenter Valla de ratione verborum Latinorum ſcripſerit, ipſe non bene ſatis loqui Latine videatur, cujus ingenii acumen conſtare inter omnes audio Italiam admiratam eſſe? *Antonius*. Non eſt enim, Alexander, eadem ratio ſcribendi, quæ præcipiendi. [1] Conabatur Valla vim verborum exprimere, & quaſi vias, ſed eas non rectas tradebat ad ſtructuram orationis; in quo tamen, & inquinatam dicendi conſuetudinem emendavit, & multum adjuvit juventutem. Sed eſt certe alia ſcribendi ratio, quæ a Valla, aut prætermiſſa eſt, aut ignorata. Florens enim ille, & ſuavis, & incorruptus Latinus ſermo poſtulat ſane conglutinationem, & comprehenſionem quandam verborum, quibus conficitur ipſa concinnitas ad ſonum. Sed de his alio loco commodius inter nos, ſi vobis placebit, diſputabimus. Poteſt enim aliud vobis, ac mihi videri. Nunc ad reliquos pergamus. *Alexander*. Nobis vero nihil poterit eſſe jucundius. *Antonius*. In aliquo igitur numero fuit [2] ANTONIUS PANORMITA, homo doctus, & Juris bene

1 Hic locus citatur, ac probatur a ſæpe laudato Viro Apoſtolo Zeno T. XI. Ephemeridum Litteratorum Ital. pag. 315.

2 Judicium Jo: Matthæi Toſcani de ANTONIO PANORMITA Siculo, Bononia equeſtri familia nato, eſt, eum *fuiſſe ſua tempeſtate omnium clariſſimum, ejuſque carmina cæteraque opera doctorum manibus teri*. (Pepl. It.) De eo teſtatur Jovius, quod quum eſſet *moribus, ac litteris præſtantibus exornatus, quum Philippo Mediolanenſium Principi fertilis ingenii induſtriam obtuliſſet, tanta liberalitate ſuſceptus eſt*, ut

bene peritus. Diligenter etiam ſatis loquutus eſt, & ut eſſet paullo politior, elegantiam ſermonis Plautinam volebat imitari, ſed ab eo aberat illa orationis integritas, ac ſententioſa concinnitas: itaque ſunt Epiſtolæ ejus languidiores. Fuit tamen perargutus Poëta, & illis temporibus non contemptus; nam is primus verſus ad menſuram quandam, numeroſumque ſonum revocavit; antea enim fractis, conciſiſque numeris parum admodum verſus a plebeiis rhytmis differebant; quamquam ejus fere tota Poëſis eſt obſcena. Sed polite, & eleganter problemata Plutarchi [1] Jo: Petrus Lucenſis Latinis litteris mandavit. Tum etiam Latine Lucianum explicaverunt [2] Rinuccius, & [3] Christophorus Romanus. Atque ego in ipſis, atque in aliis, quos enumeravimus, intelligo homines libentius ad interpretum munera eſſe converſos. Sed nos tamen colligimus omnes, ut appareat quam multi ſcribendi cupiditate flagrarint. *Alexander*. Cur nam erat iſtud quæſo? *Antonius*. Quia veluti tum naſcentibus litteris

ut Principem noſcenda hiſtoria cupidum, familiariter doceret, & publice octingentis annuis aureis elegantiores litteras profiteretur. Scripſit epiſtolas candidiore ſtilo, sed maxime jucundo. Obiit diem ſuum Neapoli an. 1471. Luculenter de Panormita Cl. Zenus addit. d. T. XIV.

1 Num PETRUS NUCETUS Lucenſis, a Franciſco Robortello *Vir doctiſſimus, & nobiliſſimus* appellatus? Vide Robortelli Adnotationum in varia loca Librum 2. ubi ita de Nuceto: *Profitebatur ille Græcas, & Latinas litteras, publiceque interpretabatur Lucæ, quo tempore florebat Florentia Politianus (æquales enim ferme fuerunt) ſumma cum laude in Gymnaſio, &c.*

2 De RINUCCIO plura inter Ephemer. Litteratorum Italiæ Tom XXI. pag. 392. Hunc alii Florentinum dicunt, alii Caſtilionenſem neſcio an nomine, vel patria, ſed Theſſalum nuncupare debemus.

3 CHRISTOPHORUS PERSONA, Romæ inter D. Balbinæ flamines in Aventini Montis Cœnobio Prior, obiit 1486. de quo vide Jovium in Elog. Nunquam vero compertum mihi eſt Rinuccium, ac Perſonam Lucianum explicaviſſe.

teris ſibi ipſi diffiderant; & erant tanquam anniculi infantes, qui nonniſi in curriculo, aut præeunte duce inambulant. Itaque cum eſſet facilius illud vertendi munus, bene de poſteris ſuis mereri videbantur, ſi tam multa adjumenta ingeniis ſuppeditarent. Sed ecce multi uno tempore fuerunt, [1] LEONARDUS DATUS, [2] BARTHOLOMÆUS FACCIUS, [3] LAPUS FLORENTINUS, [4] PETRUS MONTOPOLITA. Quanquam ex iis alius alio plus habuit, vel ingenii, vel induſtriæ; omnes tamen ad amplitudinem nominis pervenerunt. Ex his Faccius Commentarios ſcripſit rerum ab Alphonſo Rege geſtarum. Tum etiam [5] GREGORIUM TIPHERNATEM Poëtam, & doctum, atque diligentem hominem in dicendo conſtat fuiſſe. Hujus auditor fuit [6] GEORGIUS MERULA,

quia

1 LEONARDUS DATUS Canon. Flor. & Secr. Apoſtolicus floruit prope an. 1466. in quo a Matthæo Palmerio mittuntur ei Libri Civitatis Vitæ, ut patet ex Epiſtola nuncupatoria ejusdem. Anno vero ſequenti Epiſcopus Maſſæ creatus eſt. Confunditur a nonnullis cum Leonardo Dato Magiſt. Gen. Ord. Prædicatorum, qui obiit an. 1425.

2 Memoratur BARTHOLOMÆUS a Jo: Matth. Toſcani tanquam Vallæ, cujus temporibus floruit. perpetuus hoſtis, in quem & Orationes ſcripſit. V. Pepl. Ital. At Jovius: *Hunc Spedia intimum Lunenſi in portu Liguriæ oppidum protulit, utriuſque Linguæ peritia inſignem.* Obiiſſe creditur circa annum 1460. Vide quæ Jac. Gadd. de Script. non Eccleſ. T. I. quæque Cl. Vir Apoſtolus Zenus in Ephemer. Litter. It. T. IX. eruditiſſime diſſerit.

3 LAPUS nempe a CASTILIONCHIO appellatus, quem alterius Lapi clariſſimi fuiſſe nepotem author eſt Franciſcus Bocchius inquiens: *Fuit praterea alter Lapus, Averardi filius, Lapi ſuperioris nepos, miro ingenio præditus, litteriſque nobilibus ornatus. Hic doctrinam multiplicis generis edoctus, cum Linguam Græcam, & Latinam egregie didiciſſet, ex Plutarchi Græca Lingua XII. Vitas virorum clariſſimorum in Latinam Linguam multo labore, multaque induſtria convertit.* Vide Franciſcum Philelphum in Epiſtolis.

4 PETRUS patria Montopolitanus in Sabinis claruit Romæ Orator celebris, ac Poëta temporibus Pomponii Læti.

5 *Hujus doctiſſimi Viri munere reliquam Strabonis partem, quam Guarinus non attigerat, in Latinum ſplendide traductam legimus.* Jov.

6 Jov. in Elog. *In* GEORGIO MERULA *ab aquis Statiellis, Alexandrino, ingenium ſubagreſte, atque ideo ad lucubrationum labores maxime validum, nulliſque obiter volupta-*

quia nobilitate floruit diſcipulorum. Et [1] Antonius Tudertinus non tam ſcribendo probabilis fuit, quam litteris Græcis eruditus. [2] Flavius enim Blondus ſine Græcis litteris perſequutus eſt Hiſtoriam diligenter ſane, ac probe, eamque diſtinxit, & rerum varietate, & copia valde prudenter. Admonere enim reliquos videtur, ut majori artificio, ac illuſtrioribus litteris Hiſtoriam aggrediantur. In excogitando tamen quid ſcriberet, omnibus his viris, qui fuerunt fere ejus æquales, meo quidem judicio præſtitit. Iisdem etiam temporibus [3] Franciscus Phi-

luptatum illecebris, laceſſitum emicuit, paſſim florentibus Græcorum litterarum ſtudiis, quarum felici ſocietate antiqui decoris ornamenta Latinæ facultati tradebantur. Ob id varia eruditionis laude celebratus, quadraginta amplius annos cum Venetiis, tum Mediolani juventutem docuit; in alienos ſæpe Libros cenſuram exercens. Edidit etiam tranſlationem Dionis de Trajani geſtis: ſed petenti Ludovico Sfortiæ Hiſtoriam perſcripſit, Vicecomitum Principum origines, & bella continentem, ſobrio quidem ſtilo, ac ex omni parte Latino, ſed in quo lectores minus auſteri peramœna diverticula paſſim requirant. Cæterum poſtremi ejus Hiſtoriæ Libri meo judicio jucundiores, æternum dormituri, denegata luce in abditis ſcriniis jacent.

1 Citatur hic locus in Ephemerid. Litterat. T. XV. pag. 321. Judicium de Tudertino, quod edidit præceptor ejus Fr. Philelphus hoc eſt: *Lapus Florentinus, ut alias item nonnullas, quas Vitarum index aſcribit* ANTONIO TUDERTINO. *qui, etſi ipſe quoque auditor fuit meus, erat tamen Lapo illo longe inferior & ingenio, & doctrina, & dicendi vi ac facilitate* (in epiſt. quadam.) Simile illud eſt Cardinalis Papienſis ſcribentis: *Antonius Tudertinus ita inepte plures traduxit* (*nempe Vitas ex Plutareo*) *ut nullas legere præſtet, quam illas* (in epiſt.)

2 Forolivii natus eſt BLONDUS Anno D. 1388. Eugenii IV. Pii II. aliorumque Romanorum Pontificum Secretarius fuit. Obiit Romæ 1463. *Is magno auſu, ſingularique induſtria, nec infelici eventu multorum annorum intermorientes res geſtas e tenebris excitare orſus, Decadas conſcripſit, quibus ab inclinante Romano imperio funeſti tempora, ac ideo veritatis lumine orbata in lucem proferuntur.* Jovius in Elog. *Hiſtoriographus inſignis, ingenio excellens, eloquioque diſertus* vocatur a Trithemio. *Ad honorem Blondi*, ita Gerardus Voſſius de Hiſtor. Latinis, *non parum pertinet quod ſcripta illius in Epithomen contrahere dignatus ſit Pius Pontifex. Dictione eſt non admodum culta, ut etiam Volaterranus agnoſcit, ſed de antiquitate tamen, utcunque interdum aliquid humani patiatur, ſane pro ætate, qua vixit, optime meretur.* V. Ephemer. It. T. XII. ubi multa de Flavio Blondo.

3 PHILELPHUS Patria Tolentinas natus eſt anno 1398. Eques auratus, & Poeta laureatus fuit. In Archivo enim Gen. Flor. (Rog. Ser Matthiæ Cenni Ajuti) le-

Digitized by Google

PHILELPHUS non indiſertus putabatur;[1] habebat a natura ingenium vagum, multiplex, volubile. Exſtant ab eo ſcripta & Poëmata, & Orationes, ſed ut vita, ſic erat in toto genere varius. Fuit is a puero litteris Græcis bene doctus, & horum ſtudiorum cauſa eſt ab eo tota pæne Græcia peragrata. Ex quo [2] tanquam ex dotali hereditate legatas teſtamento Græcas litteras accepit: multumque etiam ei profuit Chryſolora ejus ſocer. Sed erat vendibilis ſane ſcriptor, & is, qui opes, quam ſcribendi laudem conſequi malebat. Conſtat enim neminem Principum illis temporibus in Italia fuiſſe, quin adjerit, quin eum ſcriptis ſalutaverit, ut ex his pecuniam erueret. Sed ut ad quæſtum diligens, ſic erat

legitur: An. 1481. *Famoſiſſimus vir D. Franciſcus Philelphus Miles, ac Poëta laureatus facit procuratorem Franciſcum de Tolentino nepotem ſuum Cancellarium Ducalem, &c.* Floridus Sabinus Apolog. in Calumniat. hæc ait: *Franciſcus Philelphus multa ſcripſit ut Orator, & Poëta; de cujus Epiſtolis, Dialogis, & Orationibus, aliiſque ſolutæ orationis monumentis diverſæ ſunt doctorum ſententiæ. Plurimi enim judicium ei defuiſſe volunt: alii tumidum eum plerumque; alicubi exilem, perſæpe aridum, jejunumque arbitrantur, licet ſibi vel maxime placentem; doctus tamen fuit, & magna auſus.* Author noſter de Card. pag. 63. vocat Philelphum *Poëtam, ut illa ætate heroico ſono, & dactylica exaggeratione grandem.* Obiit An. 1481. ſepultus in Æde D. Annunciatæ. Bartholomæus Fontius in Annal. ſuorum temporum MS. Biblioth. Riccardianæ: 1481. *Franciſcus Philelphus vir Græce Latineque doctiſſimus e Mediolano Florentiam accitus ut publice profiteretur æſtu, ac labore itineris confectus pridie Kal. Auguſti Florentiæ moritur anno ætatis quinto, & octogeſimo. Cujus nos in vicem ſuffecti ſumus.* Luculenter Ap. Zenus T. XIV. Ephem.

1 *Ad omne genus ſcripti ſeſe accommodavit, ac ut de Vinicio dicit Auguſtus, ingenium in numerato habebat; Græca, Latina, Lyrica, Heroica, Proſam orationem ex tempore dictitabat.* Volaterran. in Anthropolog. l. 21.

2 Hic Emmanuelis Chryſoloræ filiam uxorem duxit, quæ Græcæ elocutionis magiſtra, quotidiano uſu Atticorum accentuum, inepto, ſed docili conjugis ori dulcedinem inſtillaret. Narrat Jo: Matthæus Toſcani, hunc cum Timotheo Græculo quodam de ſyllabæ quantitate datis pignoribus aliquando contendiſſe, victoremque victo barbam ex pacto abſtuliſſe; quamvis Timotheus eam pecunia redemptam cuperet, quod ab inexorabili adverſario nequaquam impetravit.

erat in largitione effuſus. Hujus Filios [1] Xenophontem, & [2] Marium ingenioſos, & ſane eruditos dicunt fuiſſe; quorum Marium tantam habuiſſe memoriam, quanta in viro cognoſceretur. Horum majus omnino nomen exſtaret, niſi pater præcluſiſſet eis iter gloriæ. *Alexander*. Mihi vero ille (patrem dico) hoc facto ſapiens videtur, qui ex litteris divitias quæſierit; propterea quod eloquentia quo major eſt, eo hominibus inviſior, ac ſuſpectior. *Antonius*. Sed quis veſtrum ex majoribus natu multa de [3] Porcello non audivit? immo vero, quis ejus ſcripta non legit? Is ſive doctrina homo ignotus, ſive ingenio, ad ſummam nominis famam pervenerat. Ex quo intelligi poteſt quantatum fuerit ex omni numero Poëtarum paucitas. Hexametri enim ejus, quos legimus, non illi quidem politi ſunt, nec feſtivi, nec molles; grandes tamen, & graves imperitis videri ſolent: ab eruditioribus vero reſpuuntur, quod turgeant, & inflati ſint, nihilque afferant præter æqualitatem. Caruit

E omni-

1 Xenophonti Philelpho plures Epiſtolas mittit Franciſcus pater, quæ inter ejusdem epiſtolas leguntur.

2 Marii Philelphi Franciſci filii Epiſtolar. opus editum eſt Mediolani 1489. Venetiis inde 1492. Huic plures Epiſtolas Franciſcus pater ſcribit, inter quas una exſtat. dat. an. 1441. in qua Theodoræ Chryſolorinæ uxoris mortem filio nunciat.

3 Porcellus Poëta fuit, & Hiſtoricus Neapolitanus, qui floruit ſæculo decimo quinto, ut patet ex Epiſtola a Franciſco Philelpho ad eum miſſa an. 1456. Exſtant ejusdem *Commentaria ſecundi anni de geſtis Scipionis Picinini exercitus Venetorum Imperatoris in Hannibalem Sfortiam Mediolanenſium Ducem ad Sereniſſimum Principem Franciſcum Foſcar. Venetorum Ducem per Cl. Hiſtoricum, & Poëtam Laureatum Porcellium Neapolitanum. Deploratio Italiæ praeſentis parum a Divo Paulo II. P. M. atque Porcellii Poëtæ Laureati Epigrammata*. Sed ut ad rem redeamus, diſcrepat ab judicio Corteſii illud Poggii Florentini, Laurentio Vallæ ita loquentis: *Cur non & his addidiſti Virum doctiſſimum Porcellum, qui tot verſus in tuam ſtultitiam, & mores reprobos ſcripſit elegantiſſime?* Vide Ephemer. Litterat. It. Tom. IX.

omnino varietate hæc ætas; quanquam hic quidem nonnullis viſus ſit diſtinctum illud & florens Virgilianum Poëma præclare effinxiſſe; hi tamen mea ſententia longiſſime a vero judicio abſuerunt. Nec refert alieno ornatu, & quibusdam luminibus, ac quaſi inſignibus noſtra ſcripta explere, niſi queamus id diſtincte, apteque facere. Fit enim neſcio quid monſtruoſum quum membra cohærentia male, diſſipantur. Modo enim hoc ſcribendi genus magnificentius renovatum eſt, & cognita primum numerorum varietas a [1] PONTANO principe hujus memoriæ doctiſſimorum hominum: qua ſane & occurritur ſatietati, & nitidum illud ſtruitur, & lætum genus, ac politior illa elegantia hilaritate quadam aſperſa conditur. Tum etiam nomen magnum, & doctrinam [2] SIGISMUNDO MALATESTÆ defuiſſe ferunt. Habuit hic, ſicuti ſemper audiviſſe vos arbitror, multa contraria, & diverſa inter ſe naturæ ſtudia. Fuit in illo magnum ingenium, fuit tanta induſtria rei militaris, quanta in homine quoquam; ſed illud mi-

1 Jo: JOVIANUS PONTANUS Cereti in Umbria natus obiit an. 1505. ætatis an. 78. *Vir memoria quidem noſtra* (inquit Alexander ab Alex. l. 1. c. 1.) *omnibus bonis artibus, atque omni doctrina præditus; cui præter ingenii manſuetudinem, quæ plurima in homine fuit, munditia verborum, & compoſitus ille ſermo ad omnem ingenuitatem plurimum acceſſionis faciebant. Vir ad omne genus eloquentiæ natus* a Jovio appellatus eſt, & eo maxime, quia aſſerit Lilius Gyraldus, hunc in magnis Regum, & Principum negotiis diu verſatum, modo bellorum, modo pacis conditiones, & fœdera tractaſſe, non minus quam Phœbum, & Muſas coluiſſe. *Quis tamen*, exclamat, *eo plura? quis doctius? quis denique abſolutius compoſuit? enucleatius? exquiſitius? & licet ejus quidam hoc tempore gloriæ parum æqui ſint æſtimatores, non illis tamen ipſe concedam, ni meliora vel ipſi fecerint, vel ab aliis facta attulerint, id quod ad hanc ipſe diem non vidiſſe fateor*. Dialog. 1. de Poët. noſtr. temp.

2 De eo ſic Author in Lib. 3. de Cardinalatu pag. 220. *At ſi hiſtoria eſt notitia eruenda occultior, ut ad concionis uſum exempla ſumantur, quis dubitet, quin ſint Sigiſmundus Fulginas, Bernardus Oricellarius, & Galeotus Mediolanenſis accerſendi?*

mirabile: ſtare pari faſtigio in utraque fortuna, multos devincire conſuetudine, appetere inimicitias, clarorum hominum modo aſtringere, modo laxare voluptates, inter ipſas minime negociorum oblivisci, minime famam aſpernari, minime intermittere ſtudia doctrinæ. Sed [1] Pius Secundus in primis diſertus habitus eſt. Is diligentia parentum a puero eruditus multa celeriter ingenii, ac doctrinæ ſigna præbuit. In quo viro, Dii immortales, quanta diverſa inter ſe ſtudia fuerunt virtutum incredibilium! Mitto hominem artibus rerum bene gerendarum inſtructum; mitto Pontificem maximum: quis in dicendo vehementior? quis in Hiſtoria preſſior? quis in Poëmatiis dulcior? quis in docendo copioſior? Exſtant ejus Orationes amplius triginta, plenæ illæ quidem & argumentorum, & exemplorum. Idque eo fuit admirabilius, quod incommoda eſſet valetudine, ac ſemper maximarum rerum curis obrueretur. Erat in refellendo argutus, in probando ſubtilis; tenebat memoriam rerum Chriſtianarum, adjunxerat etiam ſtudia Philoſophiæ: quæ omnia oratio referta ſententiarum luminibus commendabat. Accedebat actio liberalis, ge-

1 Parciſſimus in Pii Secundi laudibus fuit Jo: Matthæus Toſcani, inquiens, eum Oratorem ſuo ſæculo non incelebrem, & veri ſatis amantem Hiſtoricum haberi meruiſſe, neque a Poëſeos cultu ejus ingenium abhorruiſſe. At revera vir fuit doctiſſimus, & eruditiſſimus, quem meritum, & doctrina ſingularis ſuper Vaticani culmina conſtituêre. Is quidem in ipſis Pontificatus curis Muſis ac Genio animi cauſa locum dare ſolebat. Patriâ fuit Senenſis Æneas Silvius Piccolomineus appellatus. Multa ingenii ſui monumenta reliquit, de quibus diſertiſſime in Ephemer. Litter. Ital. T. XIV. Vide etiam Campanum in ejus Vita, qui ſcribit deceſſiſſe Pium ætatis annorum 59. an. 1464.

geſtuſque & venuſtus, & gravis. Licet enim hunc prope ſolum Oratorem ex hac acie doctorum adducere, cui natura pariter, & doctrina inſervierint. Nihil de ejus conſiliis, nihil de rebus geſtis, nihil de animo, nihil de fortuna, nihil de gloria, nihil de religione hoc loco quærimus. De eloquentia loquor. Hoc in homine unam tantum Latini ſermonis integritatem deſiderarim. *Paulus*. Jure mehercle hunc laudas, Antoni. *Antonius*. Prudens tum etiam, & eloquens fuit [1] DOMINICUS Pontifex Brixienſis, cujus exſtant Orationes. Ac ejuſdem quoque ordinis erat [2] JO: ANDREAS ALERIENSIS; homo plane doctus, ſed toto genere horridior, ac præfractior. Ornandus eſt hic profecto eximiis laudibus, quod in emendandis voluminibus tam multam operam poſuerit. [3] JOHANNES BASINIUS Poëma fecit molle, & facile. [4] ROBERTUS autem VULTURIUS Ariminenſis, in eo libro, quem de re militari, & bellicis inſtrumentis ſcripſit, oſtendit ille quidem ſatis ingenii, ſed multo magis diligentiæ, nec minimum

1 DOMINICUS DE DOMINICIS Venetus Torcelli antea Epiſcopus. *Hic Vir*, Ferdinando Ughellio teſte, *ob raram doctrinam apud omnes ordines celebris ſic, ut priſcos Patres propemodum videretur æquare, Paulo II. Pontifice ita cenſente, ad Brixienſem ſedem translatus eſt anno* 1464.

2 JO: ANDREAS ALERIENSIS notus eſt vel ex Epiſtolis Franciſci Philelphi, qui eadem ætate vixit.

3 JO: BASINIUS Parmenſis inter Poëtas adnumeratus. Floruit dimidio ſæculi XV. Malateſtis Ariminenſibus carus. Hujus Carmina excuſa fuere Pariſiis apud Simonem Colinæum an. 1539.

4 Seu VALTURIUS, ut ab aliis vocatur. Jo: Matth. Toſc. *Hunc Ariminenſem fuiſſe arbitror authorem præclari illius Libri, quo veteres Græcorum, & Romanorum bellica machina accuratiſſime conquiſita deſcribuntur, oculiſque legentium repræſentantur. Vixit Sigiſmundo Malateſta Ariminum tyrannide opprimente.* Obiit ætatis annorum 70.

Google

mum eloquentiæ. *Alexander*. Multum iſti Baſinio ſane debemus; ſed vereor ne dum multa emendare voluerit, multa depravarit. Modo iſta diligentius, & ratione certa, non conjecturis emendantur. *Antonius*. Sed veniamus aliquando ad eum, quem mihi non licuit, per iſtos nominare. Traxit me ita ordo, ſerieſque rerum, ut tanquam in viſu inhæſerim, nec potuerim me citius explicare. *Alexand.* [1] Antonium ſcilicet Campanum dicis. *Antonius*. Iſtum ipſum. *Alexander*. Hoc in viro primum apparuit florentius, ac ſplendidius quoddam orationis genus. Scribebat facile, ſed ſtudiorum laborem ferre non poterat; quod ſæpe fere contigit uberrimis ingeniis. Habebat delectum illuſtrium verborum; erant ſententiarum ornamenta, ſed fortaſſe multa interdum, & præſertim in Hiſtoria; in qua tam multa eſt ſententiarum continuitas, ut obtundat potius animos, quam delectet. Orationes vero ejus valde probantur. Declarant enim & ubertatem ingenii, & vim quandam naturalem multis eſſe oratoriis laudibus excultam. Utebatur facili, & ita candido quodam ſcribendi genere, ut numeris quibusdam adſtrictus fluere videatur. Quanquam numerus orationis abeſt ingeniis noſtris: ita tamen imitandi quadam induſtria orationem inflexerat ad ſo-

1 Antonius natione Campanus, quem humili loco natum refert Gyraldus, Poëta fuit, teſte eodem, nobiliſſimus. De eo vide Paulum Jovium non tam Politiani, Latomi, Platinæ calamis laudantem, ſed proprio etiam ore, quum is oſtenderit Campanum Pii Pontificis gratiam ſtudiorum ſimilitudine promeruiſſe. Plura apud Cl. V. Zenum T. XII. Ephemer. Litt. It. ubi Epiſcopum Crotonienſem, & Aprutinum, Campanum invenies, qui deceſſit an. 1477. quadragenario major.

Digitized by Google

ſonum, ut cadat plerumque jucunde, & numeroſe. *Alexander*. Sane quidem, ſed iſtum unum de ſuperioribus vehementer probo. Sed eſt quædam de numero non parva dubitatio. *Antonius*. Quæ tandem? *Alexander*. Adhibendus ne ſit orationi numerus. *Antonius*. Clariſſima de re dubitas. *Alexander*. Quin etiam ipſemet in multos jam ſæpe incidi, qui omnino exiſtimarent M. Tullium nullo in oratione numero uſum fuiſſe: ſed judicio tantummodo aurium inſerviiſſe. *Antonius*. Quid tam perverſum eſt judicium iſtorum hominum, ut in eo nullum eſſe numerum affirment, quum tam multa præcepta de orationis numero reliquiſſe videant? Mea quidem ſententia eſt, orationem Latinam numeroſa quadam ſtructura contineri oportere; quæ adhuc omnino a noſtris hominibus ignoretur. *Alexander*. Ego profecto aſſentirer tibi libenter, Antoni, ſi quales hi ſint, quid inter eos, & poëticos numeros interſit cognoſcerem. Neque enim ego in oratione, æque atque in carminibus numerum facile perſpexerim, *Antonius*. In difficillimam diſputationem me revocas, quæ non eſt profecto hujus temporis. *Paulus*. Noli, quæſo, Alexander, perturbare ordinem inſtituti ſermonis; nam id, quod quæris de ratione numerorum, artis eſt intimæ, & liberam quandam ceſſationem poſtulat. Tu vero, Antoni, perge ad reliquos. *Antonius*. Sed revertamur potius ad eum ipſum Campanum. Is enim meo judicio ceteris exemplo eſſe poteſt, quam pa-

parum obſit ad virtutem comparandam obſcuro loco naſci. Nota res eſt. Dicunt enim quum puer ob inopiam oves paſceret, abductum eſſe eum a patruo prædito ſacerdotio, ut tener ſacris ad rem divinam imbueretur; tuliſſe id permoleſte patrem, qui inops eſſet, & ruſticus, ac juſſiſſe ſtatim puerum ad oves reverti: impetratum tamen precibus fuiſſe, ne paſceret, atque alium a patruo in pueri locum ſurrogatum: adoleviſſe apud patruum optima ſpe, & docilem puerum, tantoſque progreſſus brevi tempore effeciſſe, ut jam gravioribus artibus applicaretur. Inerat profecto in hoc homine ingenii celeritas quædam, ut quod ſemel, aut iterum vidiſſet, arriperet; quod etiam indicant ejus Epigrammata, feſtiva illa quidem, & pleniſſima argutiarum. In multos cavilloſus eſt belliſſime, & facete. Nam in omni etiam ſermone dulcem eum fuiſſe, & perurbanum ferunt. Eodem in numero habitus eſt [1] Nicolaus Perottus, litteris doctus Græcis, & Latinis. Hujus in Orationibus ſermo eſt non inquinatus, & multa habet oratoria ornamenta. Scripſit etiam pleraque toleranda. Is adverſarium, & obtrectatorem

1 Nicolaus Perottus ex Lentino Umbriæ Oppido, hodie Saxoferrato, *Græca Latinaque litteratura juxta clarus, Archiepiſcopatum Sipontinum ob doctrinam, & virtutem meruit; in quo munere recte adminiſtrato, extrema jam ſenectute obiit* (nempe an. 1480.) *apud Villam Fugicuram ab ipſo domino nomen ſortitam. Hujus ex officina prodiit Cornu Copia, ſive Latinæ Linguæ Commentarius, Liber omnifaria eruditione refertus, cujus Lectorem nunquam collocata in eo opera pœnitebit. Quibusdam etiam aliis Libellis rem Grammaticam juvit, & Polybium Latino eloquio expreſſit.* Ita Toſcanus. At a Paulo Jovio accepimus. Nicolaum Romæ Græcas litteras pertinaci ſtudio conſectatum, & a Cl. Zeno a Secretis fuiſſe Eugenii IV. Nicolai V. & Calliſti III. qui per litteras ſuas dat. 1456. Poëtam laureatum vocat.

rem ſuæ laudis habuit [1] DOMITIUM CALDERINUM, qui quum eſſet ingenio peracri, & flagranti ſtudio, neminem ſecum inſtituendi, ac ſcribendi gloria conferendum putabat; exagitabatque omnes, in quibus aliqua maxime apparerent doctrinarum ſigna: ſed breve tempus fuit fructuum ingenii percipiendorum. Erat is in reconditis abſtruſiſque rebus explicandis ſubtilis, & acer, & ingenio tanto, ut ſiquid interdum falſi diceret, aut novas opiniones insereret, aut conaretur evellere inſitas, ita quibusdam rationum integumentis adumbraret, ut conſenſu multitudinis veriſſime dixiſſe putaretur. Itaque quum ſibi omnia his ingenii præſidiis aſciſceret, magnam diuturnamque invidiam conflavit; quanquam habet pertinaces quosdam ſui amatores. Hujus oratio elegans eſt, & plane erudita: verborum, & ſententiarum multa lumina: quod propoſuerat ingenioſe imitabatur. Laudandus hic unus eſt, cui ſi vita ſuppeditaſſet, majorem omnino gloriam eſſet conſequutus, quam quæ ex umbratili ludo quæri poſſe videatur. Is diu Romæ [2] THEODORO GA-

1 *Calderia Veronenſis Agri oppidum, calidis aquis nobile* DOMITIUM (proprie vero Dominicum) *protulit. Eum acri, flagrantique ingenio ad gloriam anhelantem Beſſarion Cardinalis excepit, & extulit. Exinde, quum Romæ profiteretur, & obſcura ſenſa duriorum Poëtarum admirabili recondita lectionis teſtimonio dilucidaſſet, litterariis ſplendoris aſſertor, ac omnis obſcuritatis acclamatus eſt.* Vide plura in Pauli Jovii, ac Jo: Matthæi Toſcani Elog. Cauſam vero ſimultatis Domitii habes in Ephemer. Litter. Ital. Tom. XIII. ubi fuſe de Sipontino diſſeritur.

2 De THEODORO GAZA vide ſis quæ author de Cardinal. pag. 235. ait. Hic Theſſalonicæ honeſto loco natus, Amurathe Græciam omnem victricibus armis quatiente, in Italiam venit acumine, fertilitateque ingenii nemini ſecundus, ut ait Jovius: Johannes Pierius Valerianus ita de Theodoro: *Tanta eruditionis Vir, quanta multis ab hinc annis nemo Græcorum, dicere auſim etiam & Latinorum, fuit.*

Gazæ dedit operam, cum ſummo Philoſopho, tum graviſſimo ſcribendi magiſtro. *Alexander*. Recte dicis, Antoni; nam Domitius quicquid habuit (quantum ego a majoribus accepi) ex Theodori doctiſſimi hominis diſciplina hauſit: cujus quidem beneficii omnino immemorem dicunt fuiſſe. *Antonius*. Ego vero ſic exiſtimo Theodorum unum e multis laudandum eſſe, & in eo primum cum ſumma philoſophia, ſummam eloquentiam conjunctam: nec erat is in eorum numero, qui uſurpatione diſciplinæ, verbis magis quam vita Philoſophiæ ſtudia perſequuntur. Ut enim ei ingenii, & eloquentiæ, ſic humanitatis, innocentiæ, ac omnium virtutum primæ deferebantur. Erat in ſcriptis ſumma gravitas, erat profluens ſine moleſtia ubertas, candor autem latini ſermonis, & ſplendor tantus: ut non modo acuere induſtriam, ſed etiam alere quibusdam orationis nutrimentis ingenium potuiſſet. Jure igitur totius Italiæ conſenſu a doctis eſt princeps judicatus. *Paulus*. Iſtius vero quantum ego intelligere poſſum, cum magna ingenii gloria, magnaque doctrina, qua in omnibus unus excelluit, tum egregie acta vita laudatur. Ex quo intelligi maxime poteſt ſpecimen ſolidæ gloriæ nonniſi in perfectione virtutis ſolere exiſtere. Me autem non tam ipſa ſtudiorum gloria, quam bonæ exiſtimationis fructus delectat. *Antonius*. Merito te iſte fructus delectat. Sed colligamus reliquos. Nam certe

te [1] BESSARION Cardinalis NICÆNUS plus dignitatis attulit Reipublicæ Chriſtianæ, quam quod ex eo ſperaretur. Præbuit enim ſe magnum virum quum contentiones inter Græcos, & Latinos ſunt dijudicatæ. Fuit is cum omni vita ſeverus, & gravis, tum plenum, & grande eſt habitum ejus Græcæ orationis genus. Hujus domus quaſi nutrix quædam fuit omnium magnarum artium. Diſputabant eruditi homines toto die maximis de rebus. Ipſe grandis natu in utramque partem cum refellendo, tum probando reſpondebat. Nec enim tanta mens, nec tanta vis ingenii quotidianis quæſtiunculis ſatiari poterat; legebat ipſe multum, ſcribebat, meditabatur. Exſtat ab eo liber defenſionum Platonis omni doctrina refertus. Multum etiam gloriæ eſt conſequutus [2] JOHANNES ARGYROPYLUS Byzantius, prope per-

1 BESSARION TRAPEZUNTIUS, Græcus Aſiaticus, Monachus S. Baſilii, Archiepiſcopus Nicænus, Byzantii Patriarcha, Presbyter Cardinalis SS. Duodecim Apoſtolorum, poſtea Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus: *Hic*, ut author eſt Ciacconius, *in utraque Lingua Græca, & Latina peritiſſimus litteratorum, & prudentum hominum amiciſſimus fuit, quos domi ſua convenientes humaniter ſuſcipiebat, & privatis diſputationibus ſingulis diebus alebat, & fovebat. Maximus, & acerrimus Fidei Catholicæ defenſor fuit; ipſe enim ex Græcis primus in Concilio Florentino, in quo conciliata fuit Græca cum Latina Eccleſia, confeſſus fuit articulum illum de proceſſione Spiritus Sancti ſimul a Patre, & Filio tot ſeculis inter Græcos dubium. Ravennæ maximo omnium dolore obiit*. Romam ejus cadaver translatum, ſepultum fuit in Baſilica XII. Apoſtolorum in ſacello a ſe conſtructo, Platina in ejus funere orante, cum Epitaphio a ſe ipſo an. 1466. poſito.

2 De JOHANNE ARGYROPYLO vide Papadop. Hiſt. Gymnaſ. Patav. aſſerentem, hunc nobili genere Conſtantinopoli natum eſſe. Jovius vero Joannem apud Coſmum Medicem glorioſa liberalitate litteris faventem in honore fuiſſe ait, tantæque nominis exiſtimationis, ut is *Petro filio, nepotique Laurentio præceptor datus, loco parentis haberetur, publice vero Florentinæ juventuti Græcos authores enarraret. Grati idcirco animi erga Mediceæ gentis proceres vigiliarum præclara extant monumenta, conſecra-*

perfectus Peripateticus, & ſane tolerabilis ſcriptor. Is cum bello Byzantino domo pulſus in Italiam veniſſet, multos docuit ex noſtris hominibus, qui admirabili fama doctrinæ compulſi, ſe in ejus diſciplinam tradiderant. Hujus auditor fuit [1] DONATUS ACCIAJOLUS, homo non indiſertus, & ipſo orationis genere copioſus. Multæ fuerunt in hoc viro litteræ; multa non philoſophiæ ſolum, ſed priſcarum etiam rerum cognitio. Fuit in illo præter ſtudium doctrinæ, & facilitatem naturæ, ſummum ingenium, ſumma ratio, conſideratiſſima prudentia. Erat quædam orationis ſanitas, cum coloris bonitate; non medicamentis quæſitus, & fricatus candor. Doctus item ex eadem diſciplina [2] MATTHÆUS PALMERIUS fuit, qui conſervatis temporum ordinibus multorum annorum memoriam breviter, & accurate complexus eſt. Sed nihil tamen ad Donatum, ſed po-

ſecrata in ea domo altrice veræ virtutis. Ariſtotelis enim naturalia, atque moralia generoſe tranſtulit; ita applaudente Gaza vetere ſodali, qui diverſas Ariſtotelis partes vertendo deſumpſerat, ut quædam ab ſe pariter translata combureret, ne amiciſſimi hominis creſcenti famæ officerent, ſi ad æmulationem odioſa comparatione certaretur. Floruit deinceps Argyropylus (ita Papadop.) *Florentiæ ſumma exiſtimatione doctrinæ. Deceſſit Romæ ſeptuagenarius anno* 1486.

1 Multa non philoſophiæ ſolum, ſed priſcarum etiam rerum cognitio. Idipſum, teſte Franciſco Bocchio, *indicat Volumen, quod ſuo nomine Iohanni Oricellario dicatum eſt de natura virtutis, & vitii.* Idipſum ex Moralibus Ariſtotelis luculenter apparet, quibus DONATUM erudita, & pereleganti commentatione magnum lumen attuliſſe judicatur. Convertit e Latino in Tuſcum ſermonem Hiſtoriam Leonardi Arretini, & e Græco duas Plutarchi Vitas. Natus eſt nobilibus parentibus Flor. an. 1449. mortuus eſt quum annum quinquageſimum attingeret; condituſque Carthuſiano in Templo. Laudavit eum pro concione Chriſtophorus Landinus.

2 Ita Toſcanus: *Pari felicitate Latina, atque Etruſca carmina facientem, Florentia tot ingeniorum mater in lucem dedit. Extat & ejus Hiſtoria Piſana, & Supplementum Chronicorum Euſebii.* Obiit Florentiæ an. 1475. ut patet ex Bartholomæi Fontii Annalibus, quos una cum Chronicis Palmerii in lucem propediem prodire ſperamus. Vide Ephemer. Litterator. Ital. T. X. atque Ephem. Litterat. Europæ Jo: Angeli Tom. 2. p. I. pag. 80.

tius ad antiquorum conſuetudinem, & inſcitiam. Nam [1] BARTHOLOMÆUS PLATINA erat cum omni victu, atque cultu, tum oratione temperatus, & lenis, & ut ita dixerim, frugi, atque integer. *Paulus*. Ita prorſus eſt. Memoria teneo, me puerum, quum ab [2] ALEXANDRO fratre, & [3] L. M. PHOSPHORO, quem ego ſecundum fratrem diligo, deducerer ad Platinam, multa ab eo memoriter, & ſapienter dicta audire ſolitum; atque adeo omni ejus ſermone delectatum, ut quantum illius ætatis judicium patiebatur, non dubitarem, eum unum inter multos ſapientiſſimum appellare. Erat enim is cum ſermone comis, & perurbanus, tum magna corporis præditus dignitate; vox canora, ſtatus, inceſſus, omniſque corporis motus liberalis. Itaque ut nobis pueris opinio

1 Compluribus aliis documentis, quæ perſpicue evincunt PLATINÆ Cremonenſi BARTHOLOMÆI nomen fuiſſe, de quo addubitare videntur Gerardus Voſſius, Paulus Jovius, Jo: Matthæus Toſcani, aliique, adcenſendum eſt hoc Pauli Corteſii indubitabile teſtimonium, utpote Viri, cui, ſimul ac fratri ſuo Platina optime cognitus erat. De eo Eraſmus in Ciceroniano: *In Hiſtoria valiturus erat ſi nactus fuiſſet argumentum felicius. In optimo cive, & panegyrico nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem, ſed tanto intervallo, ut hoc nomen non promereatur eruditorum calculis: alioqui vir doctus, facundus, &, ni fallor, bonus.* Jo: Matthæi Toſcani tale judicium eſt: *Platina quanta potuit induſtria, eloquio tamen incompoſito Pontificum Romanorum Vitas exactius, quam ante illum ceteri, abſolvit.* (Pepl. Ital.) Illud Floridi Sabini eſt: Summorum Pontificum Vitas eleganter ſcripſiſſe, eoque immortalem ſibi gloriam peperiſſe. Obiit Romæ an. 1481. Cl. Vir Lud. Ant. Muratorius Platinæ Opus nuper edidit.

2 De ALEXANDRO Corteſio hæc Gaddius: *Alexandri doctrinam, & virtutem laudat Picus in Epiſtola ipſi ſcripta: ejus verſus de laudibus Matthia Regis laudantur a V. Obſopæo ob eruditionem, & ingenium ſingulare Poëta, quem indicat eum priſcis Poëtis numerandum fuiſſe, ſi ad juſtam ingenii maturitatem perveniſſet.* (De Scriptoribus non Eccl.) Hic fuit a diplomatibus Centumvir, atque Apoſtolicus Scriptor. Vide Voſſium de Hiſtoricis Latinis, alioſque.

3 LUCIUS FAZINIUS MAPHÆJUS *Romanus*, *vulgo* PHOSPHORUS *appellatus*, *vir doctrina clarus peritiaque tum Græca, tum Latina Linguæ perecelebris a Sixto IV. Epiſcopus* (Signinus) *adlectus eſt anno* 1482. *die* 19. *Menſis Auguſti. Deceſſit autem Romæ* 1503. *Hic ob ſimilitudinem ſtudiorum Angelo Politiano, Hermolaoque Barbaro varia litteratura clariſſimis luminibus familiariter uſus eſt, ut eorundem epiſtolæ produnt.* Ughell. It. Sac. Tom. I.

nio fuit plurimum eum ingenio, & doctrina valuiſſe; ſic etiam adoleſcentiores eum vehementer laudandum judicabimus. *Antonius*. Sed jam ad inferiorem, ſi placet, ætatem veniamus, quæ certe magnam ingeniorum copiam tulit. *Aexander*. Tu vero, Antoni, ita ad hanc inferiorem ætatem properas, ut omnes jam, qui aliquam ex humanitatis ſtudiis laudem adepti ſunt, collegiſſe videare. Sed neſcio quo pacto [1] Jacobum Cardinalem Papiensem, & item pleroſque ex veteribus prætererieris. *Ant.* O ſingularem memoriam tuam, Alexander! At mihi iſte unus in tanto numero exciderat. Nec enim ego dubito multos præteritos fuiſſe ex veteribus eruditos homines; ſed hoc accidit culpa eorum, qui nihil ſcriptum reliquerunt. Diximus autem nos a principio eos in hunc ſermonem relaturos, quos aut a majoribus laudatos accepimus, aut quorum ſcripta in exiſtimantium arbitrio verſentur. *Paulus*. Prudentiſſime facis, Antoni; nam iſti, qui nihil ſcribendo volunt videri ſapere [niſi alioqui doctiſſimi ſint, aut erudiant juventutem] nullo modo mihi placent. Odioſum ſane genus hominum, & inutile videtur, non ſolum vivis, ſed etiam poſteris nocere: quum aliena lacerent, ipſi nihil audeant ſcribere, atque id ſe facere modeſtia, & conſcientia ingenii commotos dicant: ingenioſorum quidem hominum ſtudia retardant; At homines infamiæ

1 Jacobus Ammannatus Cardinalis Papiensis dictus, Patria fuit Lucenſis. Floruit dimidio ſæculi decimiquinti. Extant ejusdem Epiſtolæ, ac Commentariorum Libri impr. Mediol. 1506. & alibi.

miæ inſolentes, & inſueti calumniarum facillime a ſcribendo deterrentur. *Antonius*. Merito iſti nullo loco ſunt numerandi, qui nihil in vita effecerunt, ut numerarentur. Sed revertamur ad noſtros, & a duobus adoleſcentibus fere æqualibus exordiamur. *Paulus*. [1] CAMPANINUM SEPTIMULEJUM te puto, & ÆMILIUM dicere. *Antonius*. Recte putas. Quorum alter, quanquam decennio ante mortuus eſt, quum alterius tamen ætate conjungebatur. Ex Platina ſæpe ſum audire ſolitus, qui ſe Campanino comitem in vinculis fuiſſe dicebat (fuit enim tum litteratis & carceris, & exilii ſubeunda calamitas) magnam eum in illo juvenili, & poëtico ardore ſpem, atque admirationem præbuiſſe. Sed Æmilius civis Romanus ad amplitudinem, & honores perveniſſet, niſi celerius, vi, quam ſuo fato, concidiſſet. Poëmata ejus, non illa quidem nimis compta ſunt, nec varia; apta tamen, & quæ naturæ viribus fulta, tanquam in herbis parva adhibita cultura, ingenii viriditatem, nondum fruges oſtendant, ita ut in eo illuſtre ingenium appareat, artificium mediocre. Sed ne [2] NICOLAO quidem VALLENSI, qui Homerum, & Heſiodum Latinis expreſſit verſibus, poëticum ingenium defuit. Nam ut ceteri multorum ſunt approbatione contenti; ſic iſte videtur unius Theodori teſtimonio aliorum judicia re-

1 Num. AUGUSTINUS CAMPANUS Paulo II. inviſus?

2 De NICOLAO VALLA ita Valer. de Litter. infel. L. 2. *Inter Romanos autem paucis ante annis non ignobilis fuit Nicolaus Valla ſumma juvenis eruditionis, Græcis Latiniſque Litteris apprime doctus, qui quidem adoleſcens admodum ad Homeri ſublimitatem eleganti Latini carminis facilitate cœperat aſpirare. Is tamen nondum alterum a vigeſimo egreſſus annum fati quadam inclementia eruditorum omnium ſpei ſurreptus eſt.*

requirere non debere. *Paulus*. Ego vero vehementer delector commemoratione civium Romanorum. Nam ſi verum dicimus [1] nos cives Romani ſumus, & duas habemus patrias; unam naturæ, juris alteram: nec plus ſane debemus illi, quæ eduxit, quam illi, a qua excepti ſumus. Itaque cum ſexaginta jam fere annos Romæ habitaverimus, jure noſtro cives Romani haberi debemus. *Antonius*. Optime facis, Paule, quod Urbi Romæ juſtiſſimas refers gratias, in qua præſertim, [2] Antonius Cortesius pater tuus magnam ſit nominis celebritatem conſequutus. Fuit enim ille Vir cum princeps Collegii Duodecimvirum, tum in illis litteris ſcribendis expeditus, & facilis; quæ quanquam inquinatæ ſint, ita tamen in his excelluit, ut appareret ejus naturale quoddam bonum depravatum eſſe vitio corrupte loquendi. *Paulus*. Non putabam te eo ſermonem producturum, ut in patrem meum incurreres. Sed gratiſſimum mihi fuit cum teſtimonium judicii tui, tum dulcior, & ſuavior commemoratio paternæ induſtriæ. *Antonius*. Nec autem ab illa poëtica laude aberat [3] Janus Pannonius, quem fuiſſe Guarini

1 Vide Pauli Corteſii Vitam. Hinc Proſper Mandoſius Corteſios Romanos appellavit.

2 Fuit Scripturariæ, ut vocant, cenſuræ princeps, &c. teſte Jo: Vincentio Coppi in Annalib. Geminianenſ. Pauli vero verba hæc ſunt in Libro de Cardinalatu: ANTONIUS *quidem Corteſius pater meus, Duodecimvirorum Compendiariorum, & Scripturaria Cenſura princeps, quum præ negociorum, interventorumque magnitudine fere ſemper minus prandere ſolere diceretur, &c.* cum aliis illius temperantiam ſobrietatemque oſtendentibus. Libelli cujusdam author eſt, de quo vide Pauli Vitam.

3 JANUS, vel Johannes PANNONIUS Epiſcopus fuit quinque Eccleſiarum. Varia ejus poëmata edita fuerunt Venetiis an. 1554. Plura Paulus Jovius in Elog. De eo meminit Lilius Gyraldus, aitque, Elegiâ potius quam heroico illum præſtitiſſe. V. Jo: Pier. Valerian. de Litter. infel. Lib. 1.

ni auditorem ferunt: clarum mehercule Poëtam, quis negare poteſt? Nam ego ſic exiſtimo hunc unum ceteris ſuperioribus poëtica gloria præſtitiſſe. Illud certe mirabile in hoc homine fuit, quod externus, quod barbarus (quæ gens durior ad Muſas videri ſolet) ad ſummam admirationem, & ingenii famam pervenerit. *Alexander*. Quid tu tantum externum efferſ? quaſi vero iſte non modo noſtros omni genere laudis ſuperarit, ſed etiam a ſcribendo deterruerit. Si jocaris, belle mihi videris eum laudando ſuffragari barbaris; ſin aſſeveras, cave ne plus quæſtionis ſuſcipias, quam poſſis ſuſtinere. Eum ſi laudas ut ingenioſum, ac plane doctum, prorſus aſſentior, modo ita laudes, ne gloriam noſtris præreptam velis. Nuper autem ea noſtri homines agnoverunt, ut paulo ante dixiſti, quæ ſunt ab eo omnino ignorata, nec ipſe unquam ſuſpicatus eſt, quænam eſſent numerorum varietates. *Antonius*. Nolo me putes ambitioſe loqui. Sed ANDREAM CONTRARIUM placuiſſe quibusdam ſcio; quod illa lumina Ciceronis ingenioſe admodum conſectari videretur; ſed aliquanto tamen abeſt ab optimo genere imitandi; &, ut ſcite [1] amicus noſter ait; non ille quidem ut alumnus, ſed ut ſimia effingit. Is enim [2] FRANCISCO LIPPO Arretino contume-

[1] De Angelo Politiano loqui intelligo, qui Epiſt. XVI. Libri VIII. ait Corteſio: *Mihi vero longe honeſtior tauri facies, aut item leonis, quam ſimia videtur.* E contra vero Corteſius Politiano reſpondit: *Ego malo eſſe aſſecla, & ſimia Ciceronis, quam alumnus.*

[2] FRANCISCUS LIPPUS Litterarum Græcarum, ac Philoſophiæ peritiâ excultiſſimus, Authori noſtro ferme contemporaneus fuit.

melioſſiſſime maledixit, ominatuſque eſt illi id genus mortis (mirabile dictu!) quod poſtea utrique contigit. Nam Lippum Neapolim proficiſcentem, in itinere ex equo præcipitem in terram delapſum mortuum ferunt; alterum etiam ex Brutiis decedentem non multo poſt ſimili prope modo cecidiſſe. *Alexander*. O graviſſimum caſum duorum eruditorum hominum! ſiquidem ejus animus præſentiens futura, quum alteri eſſet ominatus, ſibi non cavit. *Antonius*. Atque tum etiam in aliquo numero fuit [1] Angelus Sabinus Poëta, qui non ſatis, ſi non contemni, probari etiam cupiat: quanquam multa ſint in eo inaniora, nihilque varietatis adhibeat ad permulcendas aures. Sed hæ doctorum hominum contentiones de litteris tantummodo inter ſe diſſidentium, multum acuerent juventutem, niſi ipſi alios, aut invide vituperarent, aut inſectarentur inimice. Utiliſſimum certamen convertunt ad invicem, atque omnis undique concurrit ad judicandum conſentiens indoctorum turba. Sed hæc ſi forte ad nos, nihil tamen ad inſtitutum ſermonem. *Alex*. Quid tu id ad nos? quaſi vero imperitorum judicia curemus. Unus exiſtimator bonus eſt mihi pro centum millibus. *Antonius*. [2] Mombrinus mediocris in-

G du-

1 Angelus Sabinus Commentaria edidit in Juvenalis Satyras.

2 Forte Mambrinus Roseus, qui de Principatu (Gabriele Naudeo teſte in Bibliograph. Polit.) ſcripſit. Sed de Bonino Mombricio Mediolanenſi intelligendum ſuſpicarer; etenim laus, quæ huic a Corteſio tribuitur, tum Mombricii ætati, tum etiam profeſsioni reſpondere videtur. Editor Librorum erat Mombricius, qui an. circiter 1475. edidit inter alia Matthæi Palmerii Florentini Librum de Temporibus, ſuiſque carminibus illuſtravit.

duſtriæ, ſed multæ doctrinæ, & magni laboris fuit. Scripſit is Hexametros, illos quidem erudita etiam ætate tolerabiles. Utinam [1] COLA MONTANUS quale ingenium habuit ad dicendum, talem mentem ad ocium contuliſſet. Sed hunc ambitio abſorbuit, & inexhauſta aviditas magnitudinis falſæ, dum ſibi opinionis errore gloriæ fore putet ſeditionem, atque diſcordiam ferere, & potentiſſimos homines falſis criminibus in invidiam vocare; itaque malis initiis orſus, perniencioſiſſimum vitæ genus triſtem exitum habuit. *Alexander*. Quæ, malum, eſt iſta tanta ambitio? quæ præclariſſimum iſtius ingenium falſæ laudis cupiditate perverterit? Nihil eſt enim, ut opinor, incongruentius, quam litteras, quæ aluntur ocio, & uſui commodoque parantur, ad perniciem hominum ſeditionemque convertere. *Antonius*. Sane probe dicis, Alexander. Sed [2] ANDREAS BRENTIUS Patavinus Græcis litteris eruditus oſtendebat fructus futuros; quos ſi percipere ei licuiſſet, & ſperatam eſſet gloriam conſequutus: ſed breve vitæ ſpatium ingenii amplificandi fuit. Hunc defunctum [3] PAULUS MARSUS quum laudaviſſet, fuiſſetque in ea laudatione a multitudine quaſi exploſus, propterea quod nimia contentione vocis pronuntiaſſet,

1 De COLA MONTANO plura Author noſter Lib. 3. de Cardinal. *hominem* appellans *ingenioſum*, *&* *diſertum*.

2 ANDREAS BRENTIUS Græcis Latiniſque litteris clarus, Hippocratem de inſomniis in latinum ſermonem convertit. Romæ immatura morte ſublatus eſt an. 1484.

3 PAULUS MARSUS Poëta fuit, & Commentator. Claruit an. 1485. Ejuſdem habemus Commentarium in Ovidii Faſtos editum Ven. 1482. atque aliud in Virgilium impreſſum Norimbergæ 1492.

ſet, tantum animo accepit dolorem, ut paucis interpoſitis diebus quum ad animi ſolicitudinem morbus acceſſiſſet, moreretur. Is non erat omnino contemnendus ſcriptor, nec inutilis, & Poëta quamvis negligens, attamen laudandus, ut qui multum natura ipſa valuerit: meminiſtis enim vos, ut opinor, quam magnum numerum verſuum ſit is ſolitus dicere ex tempore. Sed grave vulnus nobis fuit, quod nuper ex morte [1] Flavii Pantagathi ingenioſi hominis ſuſcepimus; qui quum ſemel ſe ab inimicorum fraude vindicaſſet, incidiſſetque iterum in impetum furentis populi, ab ipſis inimicis eſt interfectus. Fecerant irruptionem inimici cum armatis hominibus in ejus domum; cædebant januam ſaxis, inſtabant ferro; quum ille miſer undique fata circumſtare, nec jam ſalutis ſpem ullam videret, inimicorum crudelitati ſe præbuit lacerandum. Itaque homo eruditus, diutius ſi vixiſſet, declarare potuiſſet id ſe in ſcribendo conſequutum, quod ab excellenti ingenio expectari poteſt. Erat is Poëta acutus, & quibusdam aculeis facetus. Erat in laceſſendo, & in reſpondendo tanta ingenii celeritate, quantam in nullo unquam cognoverim. Is reliquit Trajani Cæſaris vitam, utilem illam quidem, & nobilem. Nec vero [2] Antonio Girardino honores defuiſſent,

 niſi

1 De Flavio Pantagatho Poëta mentionem facit Author de Card. L.I. pag. 39.

2 Antonius hic de Girardinis, aut mavis de Geraldinis, ut ex ectypo eorundem ſigillo apud me patet, Poëta laureatus. Hunc Jo: Cinellius Florentinum appellat; ſed Amerinus fuit, vir clariſſimus, qui poſt varias legationes, obiit Marcenæ in Andalutia an. 1488. Ejusdem multorum Operum mentio habetur in Ephem. Ital. ſæpe citat. T. XXII. & XXIV.

niſi ipſe quoque in medio curſu cecidiſſet. Contulerat ſe ad amicitiam Hiſpanorum Regis; quem ſibi adeo, ſive morum ſuavitate, ſive doctrina devinxerat, ut facile homo litteris inſtructus, ſi longior ei vita contigiſſet, a Rege generoſo, ac potente & opibus, & honoribus ſublevaretur. [1] MARTINUS PHILETICUS quanquam natura erat tardior, non tamen indoctus fuit, & ſane utilem operam juventuti præbuit. Sed & oppidana quidem, & minus compta erat oratio; idque acciderat dum ſe vellet & Poëtam, & Oratorem putari, quum in altero laboraret, in altero parum ſtudii poneret, & neutro excellebat; quod vitium cum in omni re, tum potiſſimum in his ſtudiis effugiendum puto. In eo quoque genere numerabatur DANIEL FRANCINUS diligens, & ſane bonus Grammaticus, in dicendo autem lenis, & fluens, ſed qui plus latinitatis, quam nervorum haberet. Neque enim ita facti a natura ſumus, ut poſſimus pluribus ſimul rebus excellere: itaque in hoc arbitror ſequendam eſſe naturam ducem, atque eo tantummodo eundum, quo ab ipſa trahimur, & ducimur, ut ſimus potius ſimplici in genere perfecti, quam nos totos variarum multipliciumque artium ſtudiis applicemus. Sed [2] BARTHOLOMÆUS LAM-

1 Ejusdem habemus Commentaria in Epiſtolas, de Offic. Amicit. Senectut. & Paradoxa Marci Tullii, atque Theocriti Idyllia e Græco in Latinum translata.

2 En nova de nomine contentio. Paulus Jovius: LAMPRIDIUS (ita omiſſo nomine) *Poëta Cremonenſis, quum in Colle Quirinali ſchola Græcorum adoleſcentium, inſtituente Laſcare coaleſceret, docendi munus ſuſcepit exercitatione perutili; quod argumenta propoſita utriuſque linguæ verbis, & figuris ad mutuam ingeniorum æmulationem verterentur: ſed erepto Leone, & ſubinde everſis optimarum litterarum ſtudiis, Patavium ſe contulit, ubi per aliquot annos domi ex collaticia mercede delectorum juvenum Græcas,*

&

Lampridius, hoſpes, Paule, & familiaris tuus, litteris Græcis doctus fuit, ſed in dicendo parum exercitatus, totoque genere jejunus, & fractus: ferebatur enim, ut ſcis, ita præcipiti quadam dicendi cupiditate, ut quum peroraturus eſſet, vix trium dierum ſpatium in meditanda componendaque oratione poneret. Itaque quum ſæpe inter dicendum ea, quæ celerrime, & interrupte didicerat obliviſceretur; riſum audientibus excitabat. Sed poſtquam, Paule, in memoriam incidimus neceſſariorum tuorum, referendi nimirum in hunc ſermonem erunt duo municipes tui, [1] C. Quarqualius, & [2] Antonius Lollius, quorum alter Poëma fecit feſtivum, & quibusdam aſperſum ſalibus; alter etiam ex aliquot orationibus, quas Romæ habuit, multum commendationis eſt conſequutus. *Paulus*. Amice, hercule, feciſti, Antoni, quod laudem meis municipibus tribueris. *Antonius*. Sed de [3] Francisco Arretino aliquid dicamus: qui fuit unus doctiſſimorum Juri-

& Latinas litteras, majore quaſtu, quam gloria profeſſus eſt. Gaddius vero de Scriptoribus non Eccleſ. T. I. *Lampridius Benedictus Cremonenſis Poëta elogio, vel cenſura notatus ab Jovio, defenditur, ſummeque laudatur a Toſcano, qui ipſum appellat ſaculi miraculum*. Honorius Dominicus Caramella Panormitanus, Michaël Foſcarenus, aliique Benedictum appellant. Verum Lampridio Bartholomæi nomen fuiſſe ſuadet aſſertio Pauli Corteſii, qui hîc ejusdem hoſpes, & ſamiliaris vocatur.

1 De CHERUBINO Domini Bartholi DE QUARQUALIIS Canonico Eccl. Collegiatæ Geminianenſis plura Jo: Vincentius Coppi in Annal. De eo ita Corteſius de Cardin. Lib. II. pag. 80. loquitur *Lucius Matiſcon Celta quum a ſpe patritiatus longiſſime abeſſet, promiſiſſetque C Quarqualio Municipi meo Janenſi, Poëta ut illa ætate culto, ſi fato quandoque eſſet ei in Senatoria ſella ſeſſitandum, fanum ſe quoddam paganum daturum, quumque paucis poſt diebus ſenatorium locum nundinatus eſſet, quaſiſſetque ex eo Quarqualius ut aut adepto Patritiatu ſervaret promiſſorum fidem, &c.* Inter Epiſtolas Marſilii Ficini aliqua extat *Cherubino Quarqualio viro doctiſſimo*.

2 ANTONIUS LOLLIUS Geminianenſis inter Patriæ ſuæ viros illuſtres adnumeratur a Jo: Vinc. Coppio, qui Epiſtolam Politiani de eo loquentis oſtendit; eſt autem Lib. IV. ep. IX.

3 Floruit FRANCISCUS ACCOLTI Arretinus circa annum 1470. meruitque elogium, quod apud Guidum Pancirolum. Vide ejusdem Lib. 2. cap. 103. de Clar. Int.

riſconſultiſſimus omnium. Nihil eſt enim litteris mandatum, nihil in artibus diſciplinisque omnibus traditum, quod ab hoc homine non ſit aut cognitum, aut inveſtigatum. Memoria autem tanta erat & verborum, & rerum, ut omnia, quæ unquam legerat meminiſſet. [1] BERNARDUS autem JUSTINIANUS, Leonardi Orátoris Filius, qui nuper eſt mortuus, natura fuit ſingularis ad dicendum, & negligentiam latini ſermonis tegebat actionis dignitate. Hujus ſunt Orationes. Illa Romæ habita, ut in affluenti, & copioſo genere, laudabilis. [2] LAURENTIUS MINIATENSIS, qui nuper obiit, quoquo modo poterat & Poëmata ſcripſit, & Hiſtoriam, ſed hunc ſublimius Aſtronomia ſatis ſuſtulit; in quo genere ita laboravit, & præſtitit, ut eſſet ex tota Italia ad eum concurſus. Atque is primus ex omnibus Manilium Poëtam ex adytis editum in lucem revocavit. Sed pæne PÆTONUM, & L. CARBONEM imprudens præterii: quorum alter cum ſtudioſus, & diligens, tum bene doctus fuit: alterius nonnullæ feruntur Orationes. *Alexander*. Iſti quidem laudantur ſemper a nobis, & jure laudantur, quandoquidem tantarum doctrinarum ſcientiam ſunt adepti; ſed vellem, poſtquam eos, qui aliquam ſcribendi laudem attigerunt, nominaſti, ut de his, qui hodie vivunt, aliquid diceres,

1 BERNARDUS JUSTINIANUS Leonardi antea memorati filius patricius Venetus ſuæ Urbis nomine an. 1471. ad Xyſtum Pontificem legatus fuit, ſcripſitque Vitam patrui ſui Laurentii Juſtiniani, item de origine Venetiarum. V. Voſſ. de Hiſt. Lat. Hujus Orationem quamdam doctiſſimi fratres Vulpii Patavii nuper edidere.

2 De LAURENTIO BONINCONTRIO Miniaten. loquuntur Michaël Foſcarenus Scaligeri verbis, ac Cl. Vir Lud. Ant. Muratorius, qui primus Bonincontri Hiſtoriam nuper inter rer. Italic. Script. edidit. Bonincontrius Manilium primus Florentiæ legit, ut ipſe teſtatur, magno auditorum aſſenſu, & Commentarium in Manilii Libros Aſtronom. Bonon. in lucem miſit 1474.

res. *Paulus*. Mihi vero nihil poterit eſſe jucundius, quam ſi eorum hominum virtutes, qui nobis ex facie, & ex fama doctrinæ noti ſunt, in hoc ſermone celebratas videro. Delectamur enim neſcio quo pacto vehementius eorum laudibus, quos præſentes diligimus, aut admiramur. *Antonius*. Ego profecto libenter vobis morem gererem, niſi jam adveſperaſceret. Res ſane eſſet novo ſermone digna, ſed vos, ut opinor, non parum voluptatis cepiſtis ex commemoratione ſummorum virorum. Quanquam tu quidem, Paule, quod fortaſſe hac ætate illuſtrioribus litteris eloquentiæ ſtudia aucta putes, vivorum magis laudibus delecteris, quam eorum, qui vita exceſſerunt: multi tamen laudandi viri, quos in hunc ſermonem congeſſimus, omni nos genere doctrinæ delectare poſſunt. Nam L. Arretinus, illius ætatis princeps, ſatis nos delectabit, ſi in eo amplitudinem, & copiam requiſiverimus: nec minus jucunditatis habet erudita illa Theodori Gazæ & ſententioſa, & mollis oratio. Jam vero A. Campano, quod lumen orationis, quæ ornamenta deſunt? quid Poggio ingenioſa in dicendo facilitas? quid cæterorum præclara ingenia? Mirum eſt quantum in ſuo quiſque genere delectet. *Alexander*. Præclare intelligo, cur neminem ex his, qui hodie ſunt, velis ipſe nominare; ne quid ſcilicet ad gratiam diceres, aut ne forte minuere eorum, quos collegiſti, gloriam videreris, ſi eos cum his, qui vivunt conferres. Equidem de quibuſdam ſic exiſtimo, ipſos multum in omni genere doctrinæ eſſe verſatos, ſed

non-

nondum lumen, & florem Latinæ orationis attigiſſe; quam tu negare non poteris ab hujus ætatis hominibus, & excultam eſſe politius, & majori artificio amplificatam. *Antonius*. Quorſum iſta, Alexander? *Alexander*. Quia ita hanc turbam doctorum hominum omni genere laudum exornaſti, ut multos in opinionem poſſis inducere, neminem eſſe hujus ætatis cum his viris conferendum. *Ant.* Peracute tu quidem, Alexander, hanc comparationem ex me conaris elicere; quam in commodiorem diem differamus. Nam & ego libentiſſime in eo ſermone verſabor; in quo gloriari nobis liceat, id eſſe nuper ab ingeniis noſtrorum hominum, vel inventum, vel illuſtratum, quod mille jam prope annos ignoratum ſit. Quare illorum memoriam, quod eloquentiam ex barbarorum vinculis exemerint, quantum poſſumus augeamus. Hos autem, qui hæc ipſa ſtudia ab illis accepta locupletarunt, tota mente intueamur, ut eorum nutrimentis educati, majora aliquando conſequi poſſimus. Sed nunc quidem ſurgendum arbitror, & in Oppidum redeundum, ne qua interim e lacu tempeſtas exoriatur. *Paulus*. Sic prorſus faciendum cenſeo, niſi quid ſecus Alexandro videtur. *Alexander*. Ego vero, etſi de his, qui vivunt, aliquid libenter audirem, tamen quoniam tu, Antoni, hanc commemorationem in commodiorem diem diſtuliſti, non pugnabo tecum, ſed exſpectabo quæ polliceris. Nunc in Oppidum revertamur.

F I N I S.

944965

102

Digitized by Google

[illegible] Google